



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Secvndvs Liber. Qvod Anabaptismvs Ex deo haudquaquam sit, & quod non sit nisis unus baptimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

SECUNDVS LIBER

QVOD ANABAPTISMVS EX

deo haudquaquam sit, & quod non sit
nisi unus baptismus.

S I M O N.



LTRA horam te hic expecto Ioiada, ^{I.}TRACT.
facileq; mihi persuasiffem, metu te deter-
ritum esse, qui reliquis conclusionibus
parum fideres. IOIADA. Tam
abest ut de hoc articulo loqui formidem, ut nullus sit
alius apud me certior. SIMON, Ego uero pro-
babo rebaptisationem ex deo esse. IOIADA.

Quibus scripturis? SIMON, Ex cap. 19.
Actorum, ubi manifeste habetur 12. uiros à Ioanne,
uel in Ioannis baptisate baptizatos, à Paulo in no-
men Christi rebaptizatos esse. Si licuit post baptismũ
Ioannis, Christi baptismũ recipere, cur idem non mul-
to magis licet, ut baptismus pontificis baptisate Chri-
sti cedat? Quemadmodum enim Ephesij illi ignoran-
tes baptisate Ioannis sunt baptizati, adeoq; à Paulo
rebaptizati, ita & nos ignorantes baptisate pontifi-
cio baptizati sumus. Merito ergo Christi baptisate re-
baptizabimur. IOIADA. Quantum uerbo

LIBER II.

rum loquutus es, tot errores admisisti. Primum, Ephesinos illos perhibes bis esse baptizatos, quod probare non potes. Baptismus enim Ioannis hic non pro aqua sed pro doctrina capi debet. SIMON.

Hoc unicum asylum est, quò uos ueritate uicti confugitis, sed non potestis hæc uestra scripturis aut ueritate firmare. IOIADA. Ego uero tibi probabo, Baptismum non semper pro tinctione, quæ fit aqua, accipi, sed pro doctrina potius, Ioannis 1. et 3. Et huius rei certæ sunt notæ, ut Matth. 21. quum Christus phariseos interrogat, Baptismus Ioannis ex deo sit an ex hominibus, quandoquidem ex deo sit cur ei non credant, per baptismum (ut liquet) doctrinam intelligens aut testimonium cui fidem habere debuerant.

SIMON. Esto baptismus hoc in loco pro doctrina accipiatur, non tamen consequitur baptismum in Actis apostolorum pro doctrina captum esse. IOIADA. Nihilominus in hoc nimij fuistis, quod absq; ueritate à nobis dictum perhibuistis, baptismum sæpe pro doctrina captum esse. Sed age, probabimus in Actis quoq; baptismum pro doctrina capi. In decimo octauo capite Actorum Lucas memorat Apollo Iudæum quendam uirum eloquentem, atq; in uia domini institutum uenisse Ephesum, docuisseq; diligenter quæ domini sunt, scientem duntaxat baptismum Ioannis. Hic uel cæcis adparet, non de aqua sed de doctrina

doctrina

Arina Lucam dixisse. Is Apollos nimirum duodecim istos erudiuit in uia domini, quos postea Paulus interrogat, an posteaquam crediderint, per spiritum sanctum in cordibus suis tranquilli sint facti. Et hic obseruandum, fidem non pro dono illo coelesti intus illustrante cor accipi, sed pro doctrina fidei quam per auditum quis ab alio capit. Illi autem sic responderunt, ut ex responsione eorum Paulus facile colligere potuit, eos, quid pax conscientiarum, et quid spiritus sanctus esset, ignorare. Miratus ergo quae nam haec doctrina esset, quae eis tam necessaria et praecipua non tradidisset. Interrogat ergo in quid sint baptizati, non in quo, non ignarus aqua homines baptizari. Querit autem in quid sint baptisati, id est, iniciati et docti, quis tandem scopus sit in quem tendat, aut in quem colliment, quandoquidem spiritum sanctum adhuc ignorent. Respondent hi, se in baptismum Ioannis baptizatos esse, hoc est, in doctrinam Ioannis esse initiatos. Intelligebat Apostolus, eos nondum recte institutos uel in Ioannis doctrina. Incipit ergo et uerbis conceptis doctrinam Ioannis recenset. Quae uerba si recte expendantur, contra uos pugnant. Sic autem habent uerba Pauli: Ioannes quidem baptizauit baptismum poenitentiae. Quid sibi uolunt haec uerba, Baptizauit baptismum poenitentiae, nisi, Ioannes praedicauit poenitentiam? uel docuit quomodo poenitendum sit.

ijs qui Christo initiari uolunt? Deinde loquutus est de eo, qui uenturus esset post ipsum ut in eum crederent, nempe in Iesum Christum. Ex qua fide in animo pax nascitur Roma, s. Hoc quum intellexissent, aquæ baptismum susceperunt sub nomine Iesu. Quod hoc posterius de aquæ baptisate expono, sequentia cogūt, quæ de impositione manuum dicuntur. Euici (ut puato) hunc locum cata baptistis nihil suffragari. Nam hi, de quibus in 19. capite fit mentio, nō rebaptizati, sed semel duntaxat baptizati sunt. Bis autem instituti

An baptis-
mus Ioan-
nis & Chri-
sti differant
docti. SIMON. Ex hoc consequeretur baptis-
mum Ioannis & baptismum Christi unum eundemq;
esse, nihilq; inter hos interesse. Hoc esse non potest,
nam & doctrina Ioannis alia fuit à doctrina Christi.

IOIADA. In hoc maxime erratis. Ioannis enim
& Christi eadem doctrina est, idemq; baptismus, (de
baptismo aquæ iam loquor) uereq; hinc colligimus,
Ephesianos illos Ioannis baptisate (de aqua loquor)
non fuisse baptizatos. Nam si Ioannis baptisate tim-
cti fuissent illi, nihil fuisset opus ut eos Paulus denuo
tingeret in baptismo Christi. Eadem enim fuit utriusq;
doctrina, idem baptismus. SIMON. Si eadem
doctrina est cum Christi doctrina, quur Lucas scribit
Apollo in Ioannis duntaxat baptisate institutum,
atq; ob id à Priscilla et Aquila assumptū & exactius
in uia domini edoctum fuisse? Si Ioannis doctrina ead-
dem

Arina Lucam dixisse. Is Apollos nimirum duodecim istos erudiuit in uia domini, quos postea Paulus interrogat, an posteaquam crediderint, per spiritum sanctum in cordibus suis tranquilli sint facti. Et hic obseruandum, fidem non pro dono illo coelesti intus illustrante cor accipi, sed pro doctrina fidei quam per auditum quis ab alio capit. Illi autem sic responderunt, ut ex responsione eorum Paulus facile colligere potuit, eos, quid pax conscientiarum, et quid spiritus sanctus esset, ignorare. Miratus ergo quæ nam hæc doctrina esset, quæ eis tam necessaria et præcipua non tradidisset. Interrogat ergo in quid sint baptizati, non in quo, non ignarus aqua homines baptizari. Querit autem in quid sint baptisati, id est, iniciati et docti, quis tandem scopus sit in quem tendat, aut in quem colliment, quandoquidem spiritum sanctum adhuc ignorent. Respondent hi, se in baptismum Ioannis baptizatos esse, hoc est, in doctrinam Ioannis esse initiatos. Intelligebat Apostolus, eos nondum recte institutos uel in Ioannis doctrina. Incipit ergo et uerbis conceptis doctrinam Ioannis recenset. Quæ uerba si recte expendantur, contra uos pugnant. Sic autem habent uerba Pauli: Ioannes quidem baptizauit baptismum poenitentiae. Quid sibi uolunt hæc uerba, Baptizauit baptismum poenitentiae, nisi, Ioannes prædicauit poenitentiam? uel docuit quomodo poenitendum sit.

ijs qui Christo initiari uolunt? Deinde loquutus est de eo, qui uenturus esset post ipsum ut in eum crederent, nempe in Iesum Christum. Ex qua fide in animo pax nascitur Roma, s. Hoc quum intellexissent, aquæ baptismum susceperunt sub nomine Iesu. Quod hoc posterius de aquæ baptisate expono, sequentia cogūt, quæ de impositione manuum dicuntur. Euici (ut puato) hunc locum cata baptistis nihil suffragari. Nam hi, de quibus in 19. capite fit mentio, nō rebaptizati, sed semel duntaxat baptizati sunt. Bis autem instituti

An baptis-
mus Ioan-
nis & Chri-
sti differant
docti. SIMON. Ex hoc consequeretur baptis-
mum Ioannis & baptismum Christi unum eundemq;
esse, nihilq; inter hos interesse. Hoc esse non potest,
nam & doctrina Ioannis alia fuit à doctrina Christi.

IOIADA. In hoc maxime erratis. Ioannis enim
& Christi eadem doctrina est, idemq; baptismus, (de
baptismo aquæ iam loquor) uereq; hinc colligimus,
Ephesianos illos Ioannis baptisate (de aqua loquor)
non fuisse baptizatos. Nam si Ioannis baptisate tim-
cti fuissent illi, nihil fuisset opus ut eos Paulus denuo
tingeret in baptismo Christi. Eadem enim fuit utriusq;
doctrina, idem baptismus. SIMON. Si eadem
doctrina est cum Christi doctrina, quur Lucas scribit
Apollo in Ioannis duntaxat baptisate institutum,
atq; ob id à Priscilla et Aquila assumptū & exactius
in uia domini edoctum fuisse? Si Ioannis doctrina ead-
dem

dem est cum doctrina Christi, nihil opus fuit cum exactius instituere, sed qui doctrinam Ioannis tenuit, nimirum & Christi tenuit. IOIADA. Exactius inquit Lucas exposuerunt ei uia dei, doctrina eadem erat, sed in Apollo aliquid defuit, qui non omnia exacte norat. Nam & hi duodecim dicunt se in baptis- mate Ioannis institutos esse, cuius tamen doctrinam non recte norunt. Tametsi docti erant in doctrina Ioannis, tamen à Paulo exactius docentur. SIMON. At Paulus non dixit eandem esse doctrinam. IOIADA. Tu subinde in claram lucem tenebras ingeris. Dic quæso, quæ est summa doctrinæ Christi & apostolorum? SIMON. Ego te interrogo an Paulus Acto. 19. docuerit Christi doctrinam & Ioannis eandem esse? IOIADA. Ad hoc respondebo, posteaquam ex te audiam quæ sit summa doctrinæ Christi & apostolorum. SIMON. Non cedo, sed persto in uerbis quæ Lucas scribit Act. 19. IOIADA. Perstas in contentione tua & pertinacia. Et hoc uobis peculiare est, quoties uel nihil habetis quod respondeatis, uel dum uos uictos intelligitis. Agedum ego exponam summam doctrinæ Christi & apostolorum. Marci primo sic scribitur: Venit Iesus in Galileam, prædicans euangelium regni dei, dicens: Impletum est tempus, instatq; regnum dei, resipiscite & credite euangelio. Matth. 4. Iesus secessit in Galileam, coepitq; præ-

dicare & dicere: Resipiscite, instat enim regnum coelorum. Apostolos item mittit Christus dicens: Sicut me misit pater, & ego mitto uos, Ioan. 20. Sed pater miserat Christum ut poenitentiam & remissionem predicaret: ergo Christus etiam mittit apostolos ut idem predicent. Hoc manifestum fit ex cap. 24. Lucae, et ex Matth. 10. ultimo Marci. Sic oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertio die, & predicari sub nomine eius poenitentiam & remissionem in omnes gentes initio facto ab Hierosolymis, uos autem estis testes horum. Hæc eadem predicasse apostolos Actorum liber satis testatur 2. 3. & c. Habes tu aliquid contra tam manifesta? SIMON. Nihil. Ego uero interrogo si ne Ioannis doctrina & Christi eadem? IOIADA.

Quod eadem sit ex supracitatis locis colligo & probo. Dictum est, summam doctrinæ Christi & apostolorum in hoc esse comprehensam, ut resipiscant homines, & regnum dei adesse sciant, credantq; in Christum Iesum. Concedis hæc? SIMON. Quid igitur. IOIADA. Ioannes idem omnino predicauit, eadem ergo doctrina. Priorem propositionem ex cap. 3. Matth. probo, Ioannes baptista predicabat in deserto Iudææ & dixit: Resipiscite, in proximo enim est regnum coelorum. Sic Lucae 1. capite: Et tu puer & c. Ioannis primo & tertio capite manifestum fit Ioannem baptistam Euangelion predicasse.

Acto.

Acto. 19. (quem locum iam traclauiimus) idem prædicat ut ex Pauli uerbis colligitur. Sic enim inquit: Ioannes prædicauit baptismum poenitentiae, loquens de Iesu Christo ut in eum crederent. Hic te obtestor ut fatearis, an ne hæc satis euicerint Ioannis & Christi doctrinam eandem esse? SIMON. Quid hinc colliges? IOIADA. Vos catabaptistas rursus uictos esse, docuisseque quod scripturis probare non potestis, nihilominus tam pertinaces esse, ut manifestæ ueritati cedere nolitis. Quis credidisset te tam duræ ceruicis esse, ut opus fuerit te huc adigere scripturis?

SIMON. Quid hæc ad rebaptisationem?

IOIADA. Permultum. Nam si Ioannis & Christi eadem est doctrina, idem est & baptismus. Rebaptisationis ergo uestre exemplum nullum habetis. Nec possunt hi, de quibus Acto. 19. baptismo Ioannis (qui aqua fit) baptizati, & secundo à Paulo rebaptizati esse, nam bis eodē aquæ baptismo essent baptizati, & sic alter alterum euacuaret, quod fieri nulla ratione potuit. Vnus enim idemque est baptismus.

SIMON. Recte tu, si duntaxat unus esset baptismus. IOIADA. Non solum ecclesiam dei scinditis, sed et baptismum. Obijcio tibi Pauli uerbum qui dicit: Christus misit me nõ ut baptizem, sed ut prædicem euangelium. Iam interrogo, an doctrina euangelij baptismo præstet, an baptismus doctrinæ? SI

MON. Doctrina præstat baptismo, nam doctrina
baptismus adiungitur. IOIADA. Si ergo Chri-
stus & Ioānes doctrina cōsentiunt, cōsequitur eos ba-
ptismo quoq; cōsentire. Idē ergo erit baptismus. SIMO-

MON. Idem esse non potest, quū apostoli & Chri-
stus in nomen Iesu, itē in nomē patris, & filij, & spiri-
tus sancti baptizarint, Ioānes nō item: ergo nō potest
idem baptismus esse. IOIADA. Christus ipse

non baptizauit, sed apostoli ipsius nomine, Ioannis 4.

Quod dicis Ioannem in Iesum non baptizasse, erras.

Nam ex cap. 1. Ioannis & Marci: item ex cap. 3. Lucae

ipse ipsius uerbis manifestum fit Ioannem in Iesum ba-

ptizasse. Illic enim baptismum suum exponit, dicens.

Ego baptizo aqua, ille uero qui post me ueniet bapti-

zabit uos spiritu sancto. Quid hoc aliud, quā præ-

paro uos Christo, qui ad plenum uos perficiet? An hoc

non est baptizare in nomen Iesu? In quod uero bapti-

zarunt apostoli, quā in nomen Iesu? Acto. 2. Vide

ergo quid effeceris: nihil aliud, quā tuis uerbis uis

eundemq; baptismum esse confirmare. SIMON.

Adhuc tamen non baptizauit in nomen patris, &

filij, & spiritus sancti. IOIADA. Quasi ue-

ro Ioannes eandem cum patre & spiritu sancto deita-

tem in Christo non cognouisset. Ex quo sequeretur,

Ioannem, dum in Christum homines dirigit & bapti-

zat, in purum hominem eos dirigere & baptizare.

Quod

In nomen
Iesu bap-
tizare quid.

Quod quàm sit impium, quis non uidet? Ioannes Baptista nouit Christum filium esse dei, æqualem patri ^{Ioannis 2.} per omnia, simulq; cognouit in eo spiritum dei, qui datus ei erat non ad mensuram, sed de cuius plenitudine omnes homines acciperent, ^{Ioannis 1.} Hac de causa Christo tantum tribuit, ut ad eum omnes dirigeret, & populum ei præpararet. Deinde eos in nomen Iesu baptizauit, quod in eo eandem cum patre & spiritu sancto diuinitatem agnosceret. SIMON. Hæc quidem rationes sunt tuæ, non autem uerba dei.

IOIADA. Ostendam ergo tibi hæc ex uerbo dei. Quum in Iordane Christum baptizaret Ioannes, aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum dei descendentem tanquam columbã, et uenientem super ipsum, ^{Ioan. 1.} Et ecce uox de cœlis, dicēs: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum est. ^{Matt. 36} Quis iam dicet Ioannem ignorasse patrem & spiritum? Capite 3. Ioannis multis præconijs cœlebrat maiestatem Christi, inter cætera sic dicens: Is quem misit deus, uerba dei loquitur. Non enim huic ad mensuram dat deus spiritum. Pater diligit filiũ, & omnia dedit illi in manum. Hæc omnia testantur Ioannem mysterium trinitatis et unitatis in Christo plane agnouisse. SIMON.

Esto agnouerit quod tu dicis, non tamen ex hoc consequitur Ioannem in nomen patris & filij & spiritus sancti baptizasse. IOIADA. Omnino sequi-

tur. Interrogo enim te an is qui in Iesum baptizat, in hominem baptizet an in deum? SIMON. In deum utiq;. IOIADA. Iam quæro an Christus Iesus iuxta diuinam naturam à patre & spiritu sancto sit separatus? SIMON. Nequaquam, nam unus tantum est deus. IOIADA. Iam ergo sic collige: Christus Iesus iuxta naturam diuinam à patre & spiritu sancto indiuisus est: Et qui in Iesum baptizat, non in humanam naturam, sed in diuinam baptizat: Ergo qui in Iesum baptizat, in patrem simul & spiritum sanctum baptizat. Ioannes (ut supra probatum est) in Christum Iesum baptizauit, in eum scilicet qui post se uenturus erat: Ergo Ioannes in patrem & spiritum sanctum baptizauit. Aequipollent enim omnino huiusmodi orationes, Baptizauit in deum: baptizauit in Iesum Christum: baptizauit in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Vnus enim duntaxat deus est cui per baptismum adducimur & inserimur.

SIMON. Hoc hæctenus nunquam intellexi. Putabam enim Ioannem baptismate suo auspiciatum duntaxat fuisse, uerum & Christianum baptismum à Christo tandem cceptum esse, quum apostolos amandaret Marci ultimo, Matth. ult. Quod si uerum esset, non posset Ioannis & Christi idem esse baptismus.

IOIADA. Hinc natus est error catabaptistarum, quod putant tum tandem baptismum esse institutum,

tutum, quum à mortuis resurrexerit Christus. Et mi-
 rum est huc eos uenisse, quum claris testimonijs scri-
 pturæ proditum sit, Christum per discipulos suos ante
 mortem, anteq; acceptū spiritum baptizasse. Ioan. 4.
 & Ioan. 3. Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in ter-
 ram Iudeam & illic morabatur cum eis, & baptiza-
 bat. Et Ioannes ante Christum baptizat, unde & no-
 men Baptiste accepit. SIMON. Ergo baptis-
 mus ab homine initium habet & institutionem? IO-
 IADA. Homo certe erat Ioānes, quod negare ne-
 mo potest: doctrina tamen eius & baptismus non ex
 homine sed ex deo erant, Matt. 21. Vocatur autem Io-
 annis baptismus aut apostolorum, non quod ipsorum
 sit, sed quod per eos administratur. Clarius dicā, Chri-
 stus Matthæi 11. dicit, Lex & prophete usq; ad Ioan-
 nem: quo sermone Christus indicat, Ioannis prædica-
 tione plenius enarratū, quod prophete futurum præ-
 dixerunt. Nam quæ à prophetis sub inuolucris uerbo-
 rum obscurius futura prædicuntur, à Ioanne tanquam
 impleta & præsentia narrantur & quasi ostendun-
 tur. Agnum habebat lex mysticum: Ioannes uerum
 agnum digito monstrat. Ioannes igitur primus euange-
 lium & nouum testamentum auspiciatur, & Messiam
 adesse nunciat. Neesse igitur fuit ut & uetera signa
 aboleret et in alia mutaret quæ absq; sanguine essent,
 testamento nouo digna. Circumcisio enim in baptis-

Vnde bap-
 tismus institus.
 tus.

mum mutata est. Primus ergo Ioannes baptismum ad
 spicatur, ut tesseram aut teletam quandā populi det.

Sed de hac re audiamus ipsius testimonia. Matth. 3.
 Cū uidisset multos ex pharisæis & Sadducæis uenien-
 tes ad baptismum suum (nimirū ut & ipsi baptismum
 ab eo susciperent) dixit illis: Facite dignos fructus, qui
 deceant poenitentiam. Quibus uerbis Ioannes haud
 obscure indicat, in quem usum baptismū administret.
 Ac si diceret: Nō satis erit aqua corpore tingi, hoc po-
 tius uobis spectandum, ut noui sitis homines, ut de pre-
 teritis commissis doleatis atq; à futuris caueatis. Non
 est quod uos filios Abrahamæ iactetis, nisi Abrahamæ fidem
 imitemini. Quid fecit Abraham? credidit deo, uoci dei
 obediuit, & sese in omnibus huic deo adprobauit. Di-
 co enim uobis, quod potens est deus ut ex lapidibus
 (id est ex gentibus) filios Abrahamæ exuscitet. Iam &
 securis ad radicem arboris posita est, qua inutiles pal-
 mites & qui fructū nullum ferunt excidentur. Hoc
 est, rami qui ex naturali olea succreuerunt, increduli
 filij scilicet ex testamēto dei execti et eiekti perdētur
 et exurētur. Recte ergo uerba mea capite, Parate cor-
 da uestra in aduentū Messiaē noui regis. Ego aqua uos
 tingo & ueluti initio, ut tales scilicet sitis, qui resipis-
 cere & Christum recipere uelitis. Is cum receptus
 fuerit, baptizabit uos spiritu sancto, id est, obsigna-
 bit & perficiet uos sancto suo spiritu. Is peccata ue-
 stra uobis

stra uobis condonabit ac remittet, & igne quoq; id est feruenti charitate donabit. Hunc ut digne excipiatis toto stadio incumbite &c. Ex his testimonijs colligitur Ioannem primū baptizasse, adeoq; in Christum baptizasse. Nec alio baptismo apostoli sunt usi, quā eo quem à Ioanne, posteaquā Christum receperant, didicissent. Quin & Christus ipse in Ioannis baptisma te baptizatus est. Quod si Ioannis baptismus uerus non est, sequitur Christum non rite baptizatum, adeoq; rebaptizandum esse. Quis tam insanus qui hæc affirmet? Verus ergo baptismus est baptismus Ioannis, quem et Christus in sese confirmauit ac sanctificauit.

SIMON. Assentior illis, sed quid hæc contra catabaptistas? IOIADA. Hoc nimirum, quod Ephesij illi de quibus Actorum 19, non sunt rebaptizati, quandoquidem Christi & Ioannis idem est baptismus. Si non sunt rebaptizati, catabaptistæ suæ rebaptisationis nullum habent exemplum. Ex quo deinde consequitur, rebaptisationem eorum non esse ex deo. Nam unicum baptisma illi scindunt. Paulus dicit: Unus deus, una fides, unum baptisma, quod est in ecclesia dei, extra quod aliud baptisma non est. Quum igitur catabaptistæ ecclesiam deserunt, imò ecclesiam scindunt, & socij sunt hæreticorum priscorum, baptismum nullum habent, nam in ecclesia Christi non sunt. Rebaptisatio ergo illorum deo aduersatur, &

gloria

nihil aliud est quam secta quaedam noua contra unitatem ecclesiae. SIMON. Sed hoc dissimulas, quod baptismum pontificis Romani horrent isti, non secus ac olim sancti patres baptismum ab haereticis datū. Qui enim ab haereticis & schismaticis baptizati erant, rebaptizabantur. IOIADA. Quis unquam homines in baptismo pontificis baptizauit Pontifex ne baptismum est auspicatus? SIMON.

Minime. Ioannes auspicatus est baptismum. Sed pontifices Romani multa de suo addiderunt. IOIADA. Quae à pontifice sunt addita, ut sal, oleū, exorcismus &c. an ne baptismus sunt, an pars baptismi? SIMON. Nihil horum, nam tunc non recte baptizasset Christus & Ioannes, qui haec non adhibuerunt. IOIADA. Si haec aduentitia baptismus non sunt, cur ergo uos baptismum pontificis dicitis? Aut fuit aliquis, qui unquam in nomen Clementis, Bonifacij, Leonis, aut Gregorij baptizauit? SIMON. Nemo. IOIADA. In quod ergo uos baptizati estis? SIMON. In nomen patris, & filij, & spiritus sancti. IOIADA. Ergo non in pontificis baptismo sed in baptismo dei estis baptizati. Et qui uos iam baptizant, in quod baptizant, aut quibus uerbis? SIMON. Aqua, & in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. IOIADA.

In eundem, eis deniq; uerbis in pueritia baptizatus es.

tus es? SIMON. Nimirum. IOIADA.

Quid ergo opus fuit hoc postremo baptismo? An non uides insanire uos? SIMON. Quum pueri essemus nihil de baptismo nouimus. Iam uouemus deo puritatem, & uitam absq; peccatis. IOIADA.

An hoc non potuistis absq; baptismo? Si potuistis, aqua nihil erat opus: si non potuistis, aquæ est uirtus, ergo elementis alligata est salus, contra naturam fidei & scripturarũ. Quid hic respondes? SIMON.

Præstat sic se deo consecrare. IOIADA.

Quemadmodum monachi antea se suis uotis deo obstrinxerunt. Hic latet uenenum, quod puritatem uite uobis arrogatis, cæteros aduersamini ut impuros, & quemadmodum Cathari olim ecclesiam peculiarem & propriam cõstituitis, signantes uos tanquam præ cæteris puros. Proinde dixerã rebaptisationem uestram nouam esse sectam aduersus unitatem ecclesie, quod magis magisq; ex uerbis tuis innotescit. Dic quæso si penes uos ecclesia est sine peccatis, & quæ iam in carne non sit, ubi ergo filius perditus: ovis errabunda: ager lolio & zizania aspersus: uerriculum quod omnis generis pisces cõtrahit: cœna in qua promiscue omnes inuitati, etiam hi qui uestem nuptialem non habent, sedent? Si puri & sani estis, ergo Christo animarum medico uobis nihil est opus. O audacissimi hypocritæ, ô fucati heretici, quis uos iussit ut ante ten

pus separetis? Aut si estis tam sancti & puri, quando tandem ex charitate onera nostra, quibus grauati sumus, nobiscum ferre uultis ut adimpleatis legem Christi? quando uultis cōpati nostris infirmitatibus? quando uos qui firmiores estis nos, qui adhuc infirmi sumus assumitis? quur agra membra abscinditis et cōtemnitis? Quid estis quā schismatici? SIMON. Adhuc non dixisti quare ueteres eos rebaptizarint, qui ab hæreticis baptizati erant. IOIADA. Non rebaptizabantur, sed baptizabantur ut qui antea non erāt baptizati. Nam hæretici sanctam trinitatem negabāt, diuinitatem Christi, & spiritum sanctum. Deinde de ecclesia non erant. Baptismum ergo non habebant, nec baptizabant in nomen Iesu quem negabant.

Ad hæc mos rebaptizandi nunquam fuit uulgaris in ecclesia. Non enim rebaptizabantur hi qui in nomen patris & filij & spiritus sancti baptizati erant, sed per impositionem manuum recipiebantur, admonebanturq; ut in syncera fide perdurarent. Nihil ergo uobis hoc suffragari potest, sed potius contra uos pugnat. Apud ueros Christianos exemplum uestræ rebaptisationis nusquā habetis, sed apud priscos illos hæreticos qui ab ecclesia damnati sunt. Refricatis enim hæreses Auxentij Nouati ac Pelagij. SIMON.

De hæresi
Nouatiana

Quales illi fuerunt? IOIADA. Anno Christi 255. exortus est quidam Nouatus Romæ, homo arrogans,

rogans, pertinax & admodum audax, is docebat hominem post baptismum purum esse, quam puritatem si deinde peccando amitteret, elui nunquam posse. Quod si quis mortu aut necessitate mortis Christum negasset, is ad ecclesiam nunquam (etiam si maxime de hoc casu doleret) recipi deberet: hoc est, inter Christianos accensendus non esset, sed ut separatus ac damnatus uitandus. Hæc res coëgit concilium grauissimorum & sanctissimorum uirorum qui Romæ conuenerunt, qui scriptura et spiritu sancto dictante hanc opinionem tanquam impiam & hereticam damnauerunt. Non cessat tamen interim Nouatus, nec tam impiam opinionem recantat, quin potius ecclesiam congregat peculiarem, damnans ecclesias in quibus lapsi & poenitentes erant, suam ecclesiam puram uocabat. Hinc Cathari dicti sunt Nouatiani, Quos in ecclesiâ suam recipiebat, rebaptisatione inauguras errori suo constrinxit, et impuræ puritati cōsecrauit. Hæc nō ex capite meo, sed ex uetustis illis Cornelio, Cypriano, Dionysio Alexandrino Eusebioq; recensui, quorum quidam Nouati temporibus uixerunt. Iam si diligenter excutias quid inter ueteres illos Nouatianos, & nostri æui catabaptistas intersit, quam minimū interesse reperies. Quemadmodū enim Nouatus errorem suum publico episcoporum conuentu conuictus non ponit, sed pertinaciter persequitur: ita & catabapti-

stæ faciunt. Quoties enim ex disputationibus publicis
 quæ cum ipsis habitæ sunt Tiguri, Sanctogalli, Ber-
 næ, Basileæ, Constantiæ, Argentiæ, et Augustæ, uicti
 abierunt? Et nihilominus errorem non deserunt, sed
 uitam potius: quim ecclesias proprias colligunt, reba-
 ptizant, ecclesias nostras ut impuras damnant, purita-
 tem suis arrogat, & (in summa) faciunt quod No-
 uatus fecit. Interim tamen ambitiosi sunt, arrogantes,
 contentiosi, inflati, & hypocritæ. SIMON. In-
 telligo catabaptistas Nouatianos esse. Quid de reli-
 quis duobus dicis? IOIADA. Auxentius ante
 Ambrosium fuit episcopus Mediolanensis, sectæ A-
 riane. Is baptismum paruulorum damnabat. Huius
 error in concilio Mileuentano damnatus est. SIM-
 MON. Sed hinc non consequitur infantes esse ba-
 ptisandos. IOIADA. Maxime sequitur, quod
 mox ostendemus.

QVOD PARVVLORVM BAPTIS-
 mus ex deo sit.

SIMON.

II. TRACT. **Q**uidquid dicas, ego fortissimis argumentis
 cuincam, baptismum paruulorum ex deo
 haudquaquam esse. IOIADA. Ego
 uero id audiam, quo pacto id efficies. SIMON.

Marci

Marci ultimo Christus dicit ad discipulos suos, *Ite in uniuersum mundum, et prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur.* Matthæi item ultimo sic: *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti.*

Ex his uidetur iam sequi idq; necessario, baptismum his duntaxat esse dandum, qui doceri possunt. Nam primum dicit, *Docete eos: deinde, Baptizate eos.* Ex quo deinde sequitur baptismum præcedentis fidei esse signum. Dicit enim: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Adiungamus iam illis, & diligenter expendamus exempla & facta Ioannis et apostolorum, & manifestum fiet quod dixi. Nam Ioannes Matt. 3. hos duntaxat baptizat qui peccata sua confitentur. Actorum 2. Lucas sic scribit: *Qui ergo libèter recipiebant uerbum, baptizati sunt.* Eunuchum reginæ Candaces tum demum baptizauit Philippus, quum Esaiæ caput 53. enarrasset, & de fide illum interrogasset. Acto. 8. Apostoli omnes post prædicatum euangelium, & fidem receptam baptizarunt fideles. Sequitur ergo baptismum ut signum illis deberi, qui doctrinæ sunt capaces. Infantes, quoniam usu rationis carent, doctrinæ capaces non sunt, nec fidem habent. Paulus enim docet fidem ex auditu esse, Roma. 10. *auditum ex uer*

bo dei. Quum igitur infantes uerbum dei neq; audire neq; intelligere possunt, credere non possunt. Eis ergo baptismus non debetur qui signum est fidei præcedentis. Ad hæc si potes respõde, cætera deinde dicam.

IOIADA. Potissima fundamenta catabaptistarum, & quæ speciem quandam habent, percensuisti, sed hoc nobis nouum non est, qui ex historijs didicimus ante trecentos quadraginta octo annos (nempe anno Christi M. C. LXXXII.) hereticos fuisse qui eadem docuerunt. Quoniam uero infirmis & arundineis nitimini fundamentis, facile subuertetur pes uester. In uniuersa doctrina uestra hoc potissimum urgetis, baptismum signum esse fidelium aut eorum qui fidem iam habent. Infantes fidem non habere, Infantibus ergo non esse dandum baptismum. Nos certe (si recte uerba exponantur & intelligantur) libenter hoc uobis donamus, Baptismum signum esse fidelium aut populi fidelis. At nos fideles non ita definimus aut circumscribimus quemadmodum uos. Nam si nemo baptisandus esset, quàm qui uere & ex corde sincero credit, Iudas, Simon Samarites, Demas, cæteriq; hypocrite nunquam baptizati fuissent. Hæc nemo à me in hoc dicta accipiat, quod uelim dari baptismũ his quos constat esse infideles, sed quod ostendam per hanc dictionem (fideles) plus aliquid intelligendum esse, quàm catabaptistæ expriment. SIMON. Ex fidele

fidele quid faciam quàm fidelem? Nec intelligo quo pacto infantes sint fideles, qui rationis usu carent.

IOIADA. Nos uero in hoc negotio de fidei sic loquimur, ut infantes è fidelium numero non excludamus, quandoquidem dei sunt infantes, quos deus semper in ecclesiam suam inter fideles recensuit.

SIMON. Hæc probare oportuit, quemadmodum ego diuersum iam probaui.

IOIADA. Iam probabo. In decimosextimo capite Geneseos, ubi deus cum Abrahamo foedus sancit, peculiariter pueros sub foedere comprehendit. Dicit enim: Ero deus tuus & seminis tui post te. Præcipit deinde ut infantes octauo die circumcidantur, & signum testamenti accipiant. Ex quo consequitur, Deum non tantum adultorum, qui credere possunt deum esse, sed etiam infantum qui per ætatem credere nondum possunt. Hi enim ex gratia & promissione in foedus et in numerum fidelium accensentur.

SIMON. Nihil moror uetus Iudæorum testamentum, abolita sunt uetera illa per euangelium.

IOIADA. Per Iesum Christum ceremoniæ sublatae sunt, & figurae impletæ. Foedus uero cum Abrahamo ictum non desijt. Alioqui deus non esset deus noster, nec seminis nostri deus, essetq; nobis per Christum inclemetior factus & magis alienus, quàm ueteribus ante Christum. Quod uel cogitare absurdum est, ne dicam impium: præsertim cum in nouo quoq;

Qui dicantur fideles.

Pueri fideles sunt & in ecclesia dei membra

testamento fideles filij Abrahæ dicuntur, Roma. 4.
Gal. 4. Matth. 8. Lucæ 13. 19.

Ad hæc Christus disertis uerbis dicit: Sinite paru-
ulos ad me uenire, talium enim est regnū cœlorum.
Paulus quum de Christianorum liberis loquitur, filij
uestri mundi sunt inquit: unde hoc, nisi ex gratia, ex
misericordia & promissione dei? Sequitur ergo, pue-
ros Christianorum dei esse, interq; filios dei connume-
rari. SIMON. Pugnans hæc ex diametro cum
scripturis & euangelio, quasi uero carnalis natiuitas
quidquam apud deum ualeat, quum Ioānes dicat: Qui
non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis aut uiri,
sed ex deo nati sunt. Vos dicitis puerū ecclesiæ esse,
eo quod parentes de ecclesiā sunt. IOIADA.

Hoc dicimus propter gratiam & misericordiam
dei ex qua est promissio. Pueri ergo de ecclesiā sunt
non propter carnalem generationē, sed propter pro-
missionem dei, qui se deum fore puerorum pollicitus
est. SIMON. Quid si parentes pueri fidem si-
mularent, non uere crederent? An non pueri isti non
de Christianis parentibus sunt nati, & ob id non bap-
tisandi? IOIADA. Interrogo te Simon, cre-
didit ne Simon ille magus in Samaria, an nō credidit?

SIMON. Non credidit, sed se credere simula-
uit. IOIADA. Quid si tua uerba scripturis
pugnarent? SIMON. Non puto. IOIADA.
Ostendam

Ostendam ergo. Actorum s. sic legitur quum Sa-
 maritæ credidissent Philippo Euangelizanti de regno
 dei, deq; nomine Iesu Christi, baptizabatur uiri simul
 ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & bapti-
 zatus adhaesit Philippo. SIMON. Credidit id Fideles di-
 est fidem ore confessus est & se credere dixit. IO cuntur qui
 IADA. Hoc est quod dixi, fidem & credulita- fidem profi-
 tem latius patere, neq; in tam arctum concludi, quod tentur.
 tu ipse iam mecum fateris, scripturae autoritate coa-
 ctus. Sed quero ex te, cur baptizauit eum Philippus,
 quum non uere crederet? an non supra dixisti baptis-
 mum nemini dandū quam qui credat? & baptismum
 signum esse praecedentis fidei? SIMON. Quo-
 niam cum cæteris se credere in Christum dixit, non in-
 cor uidet Philippus sed confessione oris cõtentus, pro-
 nunciat & baptizat. IOIADA. Sic loquens-
 dum erat, & fateri quod solus deus cor intuetur, &
 quod nos externa confessione contenti esse debemus,
 & super hanc confessionem baptizare. Quandoqui-
 dem ergo pater infantis fidem ore confitetur, & se in
 Christum Iesum credere dicit: ad hæc deum credit
 deum suum esse et seminis sui, hoc est, dicit se hoc cre-
 dere, eaq; causa infantem suum ad baptismum adfer-
 re, par est ut uerbis eius credamus, etiamsi de uerbis
 patris aliquando dubitamus, scimus tamen filium non
 portare patris iniquitatem, & quod carnalis genera

tio huc nihil facit, sed quod filij dei sunt & uocabun-
tur, quod hoc electionis est liberae, et promissionis gra-
tuitae. Quis enim ignorat Ezechiam fidelem regem ex
malo parēte esse æditum? Sed nihil fuit hoc fraudi E-
zechiae, quemadmodū nec Esau utilitatis aliquid con-
sequitur quod ex bono parente natus est. Manet ergo
electio dei libera. SIMON. Quid si puer ba-
ptizandus ex electis non esset? An non præstaret tum
tandem baptizari hominem, quum uideremus eum ex
electis esse? Qui enim electi nō sunt, dei non sunt: qui
dei non sunt, non debent baptizari. IOIADA.

Quando ergo baptizares eum qui uespere tan-
dem in uineam uenit? quando latronem in cruce? Hoc
pacto nemo baptizaretur, & aboleretur baptisimus.
Electio enim dei nobis non semper nata est: quin quod
dei solius est nobis arrogaremus. Solus enim deus cor-
da scrutatur, & solus scit qui sint electi. Taceo quod
nec sic hypocritas cauere possemus. Nam Simon ma-
gus fidem simulauit (ex qua uos catabaptistae electio-
nem iudicatis) nec tamen fuit electus. Hoc idem cæte-
ri facere possent, qui iam adulti sunt. Sed dic mihi
Ismaël & Esau electi fuerunt an non? SIMON.

Electi non erant. IOIADA. Fuerunt ne
quum adhuc infantes erant in populum dei recensiti
an non? SIMON. Ignoro. IOIADA.

Sed hoc te scire conueniebat, quandoquidem huius-
iufmodi

iusmodi tractas negotia. Quod ex populo dei fuerint, ex circumcissione probō. Circumcisi erant dei præcepto, circumcissio signū erat populi dei, filij ergo sunt dei, & de populo dei etiam infantes, etiam si non sint electi. Electos non esse ex sequēti uita manifestum fit.

SIMON. Darem tibi ut de populo dei essent, inter fideles censere non possum. IOIADA.

Ergo qui de populo dei sunt, fideles non sunt?

SIMON. Adulti fideles sunt: infantes non item, fidem enim profiteri non possunt. IOIADA.

Eandem semper canitis cantilenam. An non iam dudum audis pueros etiam si fateri fidem non possunt, inter fideles tamen esse accensos? Aut deus adultorum tantum deus est? & non etiam puerorum? An pro adultis duntaxat passus est Christus, non etiam pro pueris?

SIMON. Passus est pro expiatione omnium peccatorum totius mundi. IOIADA.

Pueri ne habent peccata? SIMON. Originale peccatum habent. IOIADA. Quandoquidem ergo Paulus per Christum instauratū dicit quid per Adam erat collapsum, nec adulti tantum uerum etiam pueri in Adam perditī sunt, consequitur et pueros per Christum instauratos esse. Si restituti sunt pueri per Christum, dei sunt, & signari debent signo populi dei. Baptismus est signum populi dei: ergo pueri sunt baptizādi. SIMON. Proba baptismum

esse signum populi dei. IOIADA. Probo id
 uestra ipsorum confessione. Vos enim dicitis baptis-
 mum fidelium esse signum. Probo deinde Petri uerbis
 Acto. 10. qui sic dicit: Quis prohibere potest, quo mi-
 nus aqua baptizentur hi qui spiritum sanctum accepe-
 runt, sicut & nos? SIMON. Sed pueri non re-
 ceperunt spiritum sanctum. IOIADA. Spiritum
 sanctum recipere hic est, testimonium accipere,
 quod is sit dei qui eum accipit, & quod idem à deo
 sit purgatus. Hoc ex cap. 10. 11. & 15. Actorum. Pue-
 ri sunt à deo purgati & mundati, spiritum ergo dei
 habent. Si spiritum dei habent, dei sunt, & debetur il-
 lis baptismus: ut ex ueteri & nouo testamento iam sa-
 tis est probatum. SIMON. Si Christus diceret,
 Istorum est regnum cœlorum, facile tibi accederem,
 sed talium dicit, non istorum, Marci 10. IOIADA.

Sed hic tibi consyderandum, inter res compara-
 tas similitudinem esse quandam. Non possum dicere:
 Si uis saluus fieri, facito ut Iudas. Nã Iudas saluus non
 est, sed damnatus. Quod si pueri dei non essent, nec
 ipsorum regnum cœlorum, non dixisset dominus: Si
 uultis intrare regnum cœlorum, necesse est ut fiat
 quemadmodum pueri isti. Quum ergo talium dicit,
 indicat tales esse pueros, quales uelit esse omnes qui
 sunt dei. SIMON. Præstaret apertis testimo-
 nijs scripturæ probare, quod pueri spiritum dei habe-
 rent.

rent. IOIADA. Quibus argumentis probari tibi oportet quæ clara sunt? Sed audi, clarius quiddam dicam. Paulus dicit Roma, 8. Qui spiritum dei non habet non est eius. Ex quo consequitur, quod is qui dei est, spiritum dei habet. Pueri sunt dei, ergo spiritum dei habent. Si spiritum dei habent, iure sunt baptisandi. Dicit enim Petrus: Quis prohibere potest quominus baptizentur hi qui spiritum dei receperunt?

SIMON. Nihil contendo, miror tamen tam diserte positum esse, Docete baptisantes. Deinde Petrum baptizasse eos, qui uerbum libenter receperunt. Sic Philippum præfectum reginæ Candaces. IOIADA. Quæ tu adducis & loca & exempla, de adultis intelligenda sunt non de infantibus. Misit enim Christus discipulos suos ut prædicarent euangelium non pueris, sed adultis qui usu rationis essent præditi. Neque nos docemus quod pueri in istis locis sint baptisandi, ubi euangelium nunquam est prædicatum. Vbi uero dei uerbum et sacrosanctum euangelium prædicatum iam est, perque fidem receptum, non dubium est simul doceri & credi pueros esse dei, adeoque dei uoluntatem esse ut pueri qui dei sunt baptismo consignentur, & sic deo ueluti adducantur. Non ergo excluduntur ex populo dei, sed intra populum dei sunt accessi. Aut dic tu mihi Simon utrum maius est, Baptismus ne an doctrina? SIMON. Doctrina potior est ba-

ptismo. IOIADA. Doctrina quæ est? SIMON. Sacrosanctum Euangeliū. Dicit enim Marcus: *Ite & prædicate euangelium omni creature.* Sic Matthæus: *Docete eos seruare quæcunq; præcepi uobis.* IOIADA. An ergo hoc euangelium docet pueros dei non esse? SIMON. Nequaquam, alioqui durius & inclementius esset lege. IOIADA. Num præcepit Christus, ut pueros tanquam reiectitios deprædicarent? SIMON. Minime, sed discipulos potius increpuit, qui adducentes pueros arcebant. IOIADA. Ex his sic colligo, Quandoquidem in uerbis Christi (*docete baptizate*) doctrina præstantior est & maior, neq; tamen pueri ab ea arcentur, sed potius adducuntur, cõsequitur eos nec in minori, nempe in baptismo, arceri, sed potius adduci debere. Fitq; manifestum, mandatum hoc Christi à nobis stare potius quàm à uobis. SIMON. Ex hoc consequens esset infantes qui sine baptismo decedunt, damnatos haudquaquam esse. IOIADA. Plane consequitur, sed & hoc simul consequitur te ueritate esse conuictum teq; id agere, ut aliò ducas me uerbis tuis, ne te fortius stringā. SIMON. Fateor me nihil posse cõtra tam manifestā ueritatē. Sed de infantib. hoc adduxi ut me et in ista re doceas. IOIADA. Iustificatio & salus multominus alligata est elementis externis q̄ olim in lege, Heb. 9. *Infans*

fans ergo non in hoc baptizatur ut per baptismum, id est, per aquæ abluionē externā dei fiat: sed in hoc baptizatur, id est, cōsignatur quod prius est dei per gratiā et promissionē. Proinde si moriātur antequā aqua baptismi affunditur, nihilominus dei sunt, seruanturq; ex gratia & promissione dei ut foederis per expurgationem Iesu Christi quam in cruce fecit pro uniuerso mortalium genere. In uniuersitate autem generis humani non solum adulti, sed & pueri includuntur.

SIMON. Hoc pacto baptismo nihil erit opus. Si enim puer prius dei est, quid ergo facit aqua? Ex quo & hoc sequitur baptismum nudam aquam esse.

IOIADA. Castius de sacramentis loquendum est Simon. Nemo fidelium sic elementis & rebus externis alligatur, ut hæc, si in necessitate omittantur, damnare eum possint, nam hunc emundauit sanguis Iesu Christi. Necessitatem uoco, ut dum puer decedit ante baptismum: aut dum quis ad fidem conuersus, mox (antequam baptizari possit) ad supplicium mortis rapitur, quod in ecclesia nascenti persfrequēs erat. Huic enim crux loco baptismi est. Vnde & sanguinis baptismus apud ueteres. Hæc tametsi ita habent, nullus tamen institutum à Christo ordinem negligit aut contemnit, ut baptismum (modo habere eum possit) contemnat. Quod si baptismum recipere (dum possit) contemnit, non Christianus est, sed Iuliani & Porphy

rii discipulus. Nam si nihil prodesset baptismus, non instituisset eum Christus. Augusta sunt sancta & utilia quaecumq; nobis dedit Christus. Baptismus ergo nobis non solum utilis est, sed & summe necessarius.

Deinde hoc quoq; addimus, Baptismum (quod ad materiam attinet) aquam esse, neq; tamen ob hoc contemnendum & abijciendum, aut ut fontis aquam existimandam. Nam aqua pars duntaxat est & signum quoddam. Actio uero tota magnum mysterium continet & uenerandum sacramentū. Quare à sanctis expurgatio uocatur, & peccatorum remissio: item regeneratio, & si quid est eiusmodi. Non quidem quod aqua uim habeat expurgandi aut regenerandi. Nam si sic, & Simon ille Samaritanus et Iudas & Hymeneus & Phyletus, ceteriq; falsi fratres & hypocritæ mandati & regenerati fuissent, aqua enim baptismi abluerant. Hos uero non purgatos intus sed scelere commaculatos, non dei sed diaboli filios fuisse constat. Quum igitur diuina hæc & spiritalia baptismum tribuuntur, non baptismum, quatenus aqua est, tribuuntur, sed uniuersæ actioni, quæ fidem ministri, ecclesiæ, & baptisati, deinde & gratiam, electionem, promissionemq; dei complectitur. Ei ergo præcipue tribuitur, quod per affusionem aquæ significatur. SIMON. Quid ergo significatur? IOIADA. Quod baptisatus populi sit dei, et quod is intus per gratiam spiritus sancti

Sancti (aquam salutarem) mundetur, & per Christi sanguinem abluatur, nouæq; uitæ initiatur, quemadmodum aqua foris sordes corporis abluit et emundat.

SIMON. Recte. Quandoquidem uero tam augusta sunt & sacrosancta mysteria baptismi, dic quæso cur dantur infantibus qui tam excellentium rerum capaces nondum sunt? IOIADA. An non & circumcisio olim magnum erat sacramentum, signum populi dei, & initiatio in ueram fidem, & innocentiam? Deuter. 10. Hierem. 4. Roma. 2. 4. Adhuc tamen pueris dabatur, qui longe post in lege dei erudiebantur, Deut. 6. Cur nos non idem faceremus? cur infantes nostros non signo fidei consignaremus recent natos, & adultos in euangelij cognitionem induceremus? Hinc apud ueteres confirmatio nata est, earum scilicet rerum, quæ in baptismo erant inchoatæ. Producebantur pueri, interrogabatur de fide, de oratione deq; reliquis, atq; in his erudiebantur & firmabantur. Vnde et hi, qui pueros ad baptismum ferunt, testes sunt, puerum adductum è Christianis parentibus natum esse, suo parentumq; nomine signum populi dei infanti dari postulant, hinc quoq; nomen uernacula sortiti, uocantur enim gOTTen & gÖTTinen quod puerum deo adducant & dei esse testentur, pollicentes interim se hinc puero doctores (si res postulet) in fide & moribus præstituros.

Si quæris iam quibus scripturis hæc firmentur, analogiam ceremoniarum ueteris legis adducimus, nempe circumcisionis: perinde enim ut in circumcisione pueri domino adducebantur, sic legimus in Euangelio pueros Christo esse adductos. SIMON. Sino hæc iam, & ad priora reuertor. Dixisti (si recte memini) ijs in locis ubi Christus nondum est prædicatus docendos esse homines, tum demum baptisandos. IOIADA. Sic res habet, nec aliter (quod tute nosti) fieri potest: si quis hodie in Græciam ueniret ubi Turca regnat, & illic uellet baptizare antequam docuisset, an non is & oleum & operam perderet? Quum enim nondum docti essent, quid baptismus esset aut quid significaret? nemo baptismum neque reciperet, neque infantibus dari permetteret. SIMON. An ergo Iudæi non norunt deum esse deum ipsorum & etiam puerorum suorum? IOIADA. Norunt, & ob hoc infantes circumciderunt. SIMON. Quid ergo prædicatione opus fuit apud gentem Iudaicam quæ iam olim deum norat? quur non statim baptismo initiabant pueros Christo? IOIADA. Contra circumcisionem baptismum prædicabant apostoli: Iudæi mordicus hærebant circumcisioni. Longa ergo prædicatione opus erat apud Iudæos, ut intelligerent baptismum loco circumcisionis fore. SIMON.

Hæc uos (ut cata baptistæ dicunt) sine scripturis docetis.

etis. IOIADA. Baptismum loco circumcissionis uenisse facile intelligerent, si usum paulo attenderent. In baptismo enim perinde ut in circumcissione nomen imponitur infantibus. Sic Luca 2. Sed hæc parum ponderis apud uos habent. Ad Acta ergo apostolica, nostra referimus, 10. 11. 15. Col. 2. Paulus enim illic consolatur fideles ex gentibus ne doleant se non esse circumcisos, circumcissionem fidelium baptismū esse.

SIMON. Sed clare & disertis uerbis de ea circumcissione loquitur quæ fit sine manibus renouationem mentis & interioris hominis intelligens.

IOIADA. Nec de alia nos loquimur, sed interim iudaicam subindicat circumcissionem, quæ in genitali membro, cultro lapideo, & manibus fiebat. Circumcisos uos dico ò Colossenses & circumcissionem habetis, non quidem illam quæ manibus fit, sed loco illius circumcissionis corporalis & externæ, Christi circumcissionem habetis, baptismum scilicet. Nam ut circumcissione adfectuum amputatio significabatur: sic per intinctionem, in aqua baptismi factam, expurgatio peccati suffiguratur. Hunc esse genuinū huius loci sensum, ex ipsius Pauli uerbis probabo. In Christo (inquit) estis completi, qui est caput omnis principatus ac potestatis, per quem & circumcisi estis circumcissione quæ fit sine manibus, dū exuistis corpus peccatorum carnis per circumcissionem Christi, conse-

pulti simul cum illo per baptismum, in quo simul cum illo resurrexistis per fidem operationis dei, qui excitauit illum ex mortuis. Cōfer iam huc caput 6. ad Ro. & baptismum dictum esse circumcissionem Christi, adeoq; baptismum loco circumcissionis surrogatum, intelliges. Ex istis sic colligimus. Paruuli apud ueteres sunt circumcisi: baptismus circumcissionis locū occupat: ergo pueri apud nos sunt baptisandi. SIMON.

Quid de octauo die? IOIADA. Non sumus alligati tempori nec loco, sed harum rerum libertas facta est per Christum. Omni ergo ratione subducta, constat baptismum paruulorum ex deo esse, cui dum repugnant catabaptistæ, euāgelio, electioni dei, & fœderi æterno repugnareprehenduntur. Audaces ergo sunt, & fœderis dei uiolatores, perfidi in deum, quum fœdere dei eos excludunt quo in fœdere comprehendit diuina gratia. SIMON. Adhuc non habetis clarum uerbum dei quod pueri sint baptisandi. IOIADA. Hoc non esse testabuntur quæcunq; hactenus disputauimus. Sed esto nihil de hoc expressum in scripturis habeamus: dic tu ubi uos expressum habetis quod pueri non sint baptisandi? SIMON. Docete baptisantes. Item, Veniebāt & confitebantur peccata sua. Item, Qui libenter receperunt sermonem, baptisati sunt. Item, Qui crediderit & baptisatus fuerit, IOIADA. Ad hæc omnia
superius

superius respondi. Sed sic soletis subuersa & diluta
argumenta uestra subinde ab initio repetere. Ad lo=
quendum enim promptissimi estis, sed non parati ut
ueritati cedatis. Sed in tuis omnibus nunquam adhuc
audiui ex scripturis proferri, Pueri nō sunt baptizan=
di. SIMON. Sed ex locis citatis hoc consequi=
tur. IOIADA. Hoc uero præceptum non est,
aut quod uetetur. Ad hæc consequentiæ uestræ falsæ
sunt & sine fundamento. Quod si uos consequentiæ=
rum falsarum nihil pudet, nihil pudebit nos uerarum.
Quum ergo uos clamatis, Vbi scriptura docet pueros
esse baptisandos? Nos rursus clamamus, Vbi uetat scri=
ptura ne baptizentur? Respōdetis Marci ultimo. Nos
uobis opponimus caput 17. Geneseos, 10. Marci, 1.
Cor. 7. Acto, 10. Col. 2. & c. Nostra uero iudicanda
proponimus omnibus pijs. An æquius sit & uero simi=
lius, quod hi pueros, quos sanguine suo lauit Iesus Chri=
stus, fœdere dei excludūt (Quur enim signum fœde=
ris & expurgationis illis negant?) An quod nos doce=
mus pueros dei esse, redemptos à Christo, quos sibi iu=
beat & uelit adduci, adeoq; baptizari. Tu Simon iu=
dica, & responde utrum tibi uideatur uerius? SI=
MON. Si res per se consyderetur, posita uerbo=
rum contentione, uerius & grauius est quod uos di=
citis. Hoc uero mirum est, quod tu baptismum par=
uulorum à temporibus apostolorum deducis, quum

III
TRACT

apostoli pueros non baptizarint. Hic tuam humanitatem adpello, ut producas si quid habes, quidquid ueritate subnixum attuleris, non reijciam sed lubens recipiam. Nam haecenus pleriq; nostrū pædobaptismum à papa introductum putauimus.

BAPTISMVM PARVVLORVM AB
apostolis ad nos usq; durauisse.

IOIADA.

III.
TRACT.

HOc nemo inficiabitur, à papa & patribus baptismo Christi quædã esse admista: baptismum parvulorum ab illis coeptum, nemo sanus dicet. Quæ ergo addita fuerunt & uerbo dei pugnantia, rursus sunt adempta, ne quis hic negotium facessat. Quod à uobis obijcitur apostolos nunquam baptizasse parvulos, nemo probare potest. Ostendam enim tibi argumenta non leuia, ab apostolis parvulos baptizatos esse, ex quibus facile intelliges pædobaptismum iam inde à temporibus apostolorum in ecclesia Christi durauisse, neq; nuperum esse inuentum pontificis Romani. Primum, ex ui præcepti Christi & doctrine sic colligimus. Amandauit dominus discipulos suos ut euangelium prædicarent & baptizarent, misit ergo eos ut pueros baptizent. SIMON, Hanc consequentiam nego. IOIADA, Ego uero sic probabo.

60. Euangelium tam abest ut pueros reijciat, ut Christo adducat potius. Doctrina uero maior est baptismo, 1. Cor. 1. Si maius, nempe euangelium puerorū est, ergo & minus, scilicet baptismus. Ergo apostoli paruulos baptizarunt.

Secundum argumentum ex ingenio eius colligitur, cui debetur baptismus & qui baptismatis capax est. Quoscumq; deus inter fideles accēset, fideles sunt. Nam Petrus hoc audiuit, Quod deus purificauit, tu ne commune aut immundum dixeris, Acto. 10. Paruulos accenset in numerum fidelium. Ergo paruuli sunt de numero fidelium, & inter fideles à nobis reputari debent, nisi uelimus deo repugnare, & fortiores ipso esse.

Hic iam certissimū est apostolos baptizasse, quoscumq; baptizare iussit Christus: fideles baptizare (ut & uos fatemini) iussit, ergo pueros baptizarunt apostoli. Minor propositio satis est nota, quoniam paruuli è numero sunt fidelium.

Tertium argumentum ex facto Petri ducitur, peculiare quidem, sed in quo ius publicum baptismi tangit. Non potuit illis prohibere aquam, qui spiritu dei donati erant, sed eos ut populum dei cōsignauit. Non ergo potuit pueris negare baptismum, quādoquidem in Euangelio didicerat, pueros dei esse, & quod illorum esset regnum cœlorum. Quis uero uel cogitare

potest, aliquem sine spiritu sancto capace[m] esse regni
coelestis?

Quartum argumentum ex vi circumcissionis colli-
gimus, cuius loco baptismus est in ecclesia Christi.
Quicumq[ue] serui fuerunt dei, hoc in primis semper sunt
conati, ut pueri eor[um] circumciderentur, Iosue. 5. Exod.
4. Apostoli ministri fuerunt dei fidelissimi, ergo non
omiserunt quod in locum circumcissionis successit: ba-
ptizarunt ergo, non adultos solum sed & pueros.

Quinto ex usu & more apostolorum sic colligi-
mus. Apostoli Christi omnia negotia sua ad analogiam
& exemplum ueteris testamenti direxerunt. Hoc o-
stendimus ex euangelistis quatuor, ex Actis apostoli-
cis, ex epistolis apostolorum, Roma. 15. 2. Cor. 3. 2. Tim-
oth. 3. 2. Pet. 1. & c. Ergo & baptismum ad analo-
giam et figuram ueteris testamenti instituerunt. Tran-
situs per mare rubrum typus fuit futuri baptismatis,
1. Cor. 10. In figura fuerunt pueri (Nam uiri simul &
mulieres cum pube transierunt) ergo pueris baptis-
mum non negarunt apostoli.

Iam scriptura mos est, qui fere omnibus gentibus,
ut mulieres & pueros nominatim non recenset, sed
nihilominus includat. In patris familias enim aut uiri
nomenclatura, ut in capite tota familia comprehendi-
tur. Nam nisi hoc esset, damno & fraudi hoc foeminis
ueniret, si propter hoc dei non essent, quod non sunt cir-
cumcise.

circumcise. Hæc omnia beneficio synecdoches fiunt.

Sextum argumentum ex manifestis testimonijs Actorum apostolorum ducitur. Totas domus baptizarunt apostoli, ergo simul & pueros. Pubes enim in numero familie est. Hoc probamus ex 17. Gen. Circumcidebat enim Abraham quidquid erat masculini generis in domo sua. Intellexerat enim dei promissionem, quæ habet, Ero deus tuus et seminis tui. Sic quoque in nouo testamento factum est, quum paterfamilias euangelium audiebat, & prædicato euangelio credebat, nempe quod deus futurus esset deus suus & seminis sui, baptizari fecit quidquid in domo sua erat. Sic baptizarunt apostoli totas domus. Deinde ex cap. 12. Exodi, & 2. cap. Actorum, manifestum fit pueros ad familiam paternam pertinere. Hæc ob id inculco frequentius, quod sciam catabaptistas in hoc esse, ut pueros familia excludant, totas enim domos ab apostolis baptisatas esse negare non possunt. Sed quis non uidet hæc ex contentione nasci? Nam in his familijs, quas apostoli baptizarunt, nullos fuisse pueros etiam si possent probare, adhuc tamen non probauissent omnes familias aut domos absque pueris esse. Sic ergo colligimus denuo, Apostoli totas domus baptizarunt, ergo & pueros, quum pueri sint præcipua pars familie & domus. Sed esto non fuerint infantes in domibus quas apostoli baptizarunt, adhuc tamen ad domum perti-

nent & in eam censentur, et si adfuissent nimirum baptizassent eos. Totam enim domum baptizarunt. Nihil ergo defuisset uel in apostolis uel in pueris quo minus essent baptizati, sed quod nulli illic fuerunt hoc in causa fuit: si pueros habuissent, apostoli eos baptizassent.

Septimo, ex historijs & chronicis colligitur baptismum paruulorum à temporibus apostolorum ad nos usq; durauisse.

Origines qui anno salutis ducentesimo duodecimo in ecclesia Alexãdrina uixit, in quinto libro quem in epistolam ad Romanos scripsit, testatur ecclesiam baptismum paruulorum ab apostolis accepisse.

Post hæc tempora circa annũ ducentesimum quinquagesimum quintum fuit Cyprianus, is non uulgaribus argumentis probat baptismum paruulorũ, epist. s. lib. 3. ad Fidum.

Anno trecentesimo uicesimo scripsit Lactantius in lib. quarto institutionum diuinarum cap. 4. baptismum loco circumcisionis uenisse quo congregarentur ad fidem & ecclesiam omnes gentes.

Hieronymus qui uixit circa annum trecentesimum septuagesimum, claris scripturis infantium baptismum asserit, ad Letam & aduersus Pelagianos.

Eisdem temporibus & quadraginta annos post, doctus in Aphrica Augustinus uir non sanctitate solum, sed

sed summa eruditione & exactissimo iudicio præditus. Is multa de baptismo scribit contra Donatistas, ad Marcellinum & Petilianum, ubi manifeste dicit ecclesiam ab apostolis baptismum paruulorum accepisse. Hæc ideo adduxi, ut uideas non nuperum esse aut recens natum baptismum paruulorum, & quod hi qui talia docent, non ueritati sed errori innutuntur. Nam tamen si Christus tricesimo tandē anno baptisatus est, circumcisionem tamen octauo die infans accepit, ut interim taceam baptismum tum nondum fuisse, qui à Ioanne primum coeptus est.

Sed uela iam colligemus, & ostendemus imperite à uobis argumentatum esse cum sic colligitis: Non legimus apostolos infantes credentium baptizauisse, ergo non sunt baptizandi. Quod si coniecturæ uerisimiles et ratio apud uos aliquid ualent, uerisimilius est apostolos baptizauisse infantes quam secus, in familia nempe Stephanae, Lydiae, et custodis carceris aliorūq; si modo infantes in his fuerunt, quæ ipsi exempla refellere nunquam poteritis. Infinita sunt facta tam à Christo, quam ab apostolis, quæ literis mandata non sunt. Nec potest sic recte colligi: Hoc factum non est, ergo ut fiat ius non est. Ut maxime donemus uobis apostolos nullos infantes baptizauisse, non ideo euicis baptisandos non esse infantes. Neq; ad hanc affirmatiuam (Apostoli baptizarunt adultos et credentes)

inferre hanc negatiuam uobis licet (ergo infantes non sunt baptisandi). Nunquā enim licet neq; in diuinis, neq; in prophanis à factō ad ius argumētari: sed tunc solummodo licet factum pro lege adducere, quum factum, iure factum esse probatum est. SIMON.

De iure & factō (ut audio) res uertitur? IOIA DA. Maxime. Si iure quid licet, iam ubi id feceris recte fecisti, etiam si nullus apostolorū factō præierit. Non ergo debet baptismus negari infantibus, eo quod expresse nusquam leguntur apostoli infantes baptizasse. Tum quod fieri potest ut baptizauerint infantes (ut iam demonstrauimus, atq; deinceps si opus sit magis demonstrabimus) literis autem commendatum non sit quod ipsi fecerint: tum quod nullius facta iuri præiudicant, multo minus infecta. Vnde si planis clarisq; uerbis alicubi de apostolis esset scriptum, Apostoli non baptizarunt infantes, nō tamen sequeretur non esse baptisandos, sed inquirendum esset an factum solummodo omiserint, an phas non sit baptizari. Christus non baptizauit Ioan. 4. Ergo secundum uos non erit baptizandum? Quis sic insanit ut hæc affirmet? Baptizarunt enim apostoli, idq; iure. Ergo si apostoli iure baptizarunt, etiā si Christus nunquam baptizauerit: nos quoq; iure baptizabimus infantes, etiam si apostoli non baptizauerint. Nec ulla est ratio diuersitatis, imò causa nostra potior est, quum nos Christum habeamus

beamus

beamus qui non baptizauerit, & tamen baptisandum sit, uos apostolos tantum. Ostendite ergo legem qua uetitum sit quo minus infantes tingere liceat.

His tam multis non istud agimus, ut his exemplis firmare uelimus tanquam fundamento baptismum infantium (alia enim firmamenta eaq; fortiora habemus) sed ostendere quod temere atq; mendaciter dicitis apostolos nunquam baptizauisse infantes, nullum enim huius rei habetis testimonium. Quod si maxime habere tis, adhuc tamen non sequi, quod infantes non essent baptisandi: ad factum enim aut insectum nihil sequitur, sed ad ius. Tum deinde ut uerisimilius esse probeamus baptizauisse quam secus. SIMON. De fundamentis multa iactas, sed parum adfers, aut quae tam fortia sunt? IOIADA. Fundamentum hoc iecimus, pueros credentium perinde esse, & intra ecclesiam & inter filios dei atq; parentes, idq; promissionis ui, quemadmodum & in ueteri testamento fuerunt. Deinde circumcisio (quod ad rationem sacramentalē attinet) id fuit, quod nobis baptismus. An haec non à me iam dudum dicta & probata sunt? Cur ergo abs me nihil aut parum adductum dicis? SIMON. Ex ueteri instrumento quur omnia sumis? IOIADA. Video quid sit, uetus instrumentum abijcitis, uidetis enim infantium baptismum hinc posse defendi. An non & Christus & apostoli uetus testa

mentum citant, quoties sua probare uolunt? Aut dictu, Christus quū iubet Iudæos scrutare scripturas, nonne ad uetus instrumentum eos remittit? SIMON.

Maxime. IOIADA. Quur ergo nos reprehenditis, si ad exemplum Christi nostra scripturis ueteris testamenti firmamus? Nouum testamentum in ueteri inclusum est, & uetus nouum adumbrat ac probat. Si in ista conclusione satis es persuasus, ad reliqua properabimus. SIMON. Placent nonnulla, sed quod infantes in familiam recenses nondum plane uideo probatum esse. IOIADA. Non ergo uidisti ex hominibus homines nasci, parentes liberos alere atq; tueri? Sic omnem sensum humanū exuisti? Sed scripturas adducemus in re apertis. Actorum 2. cap. sic habemus: Omnes autem credentes simul, aut in eodem loco erant, & habebant omnia communia. Hic requiro, an ne credentes liberos secum habuerint necne. Si etiam, quomodo ergo non fuerunt in familia eorū? Sin minus, cur ergo nunquā legūtur solliciti fuisse, quod nō liceret liberos secum habere ei qui credidisset? Adeon? immanis spiritus fuit qui eos instingebat ut liberos abdicandos esse dīctaret? SIMON.

Non uolumus quod non habuerint atq; aluerint apud se, sed quod non sint familie Christianæ accensi.

IOIADA. Quero ergo qui uobis nomine familie ueniant? SIMON. Ii qui iam sic adoleuerunt,

uerunt, ut norint quid lex sit, quid peccatum. Poenitere enim oportet eum qui baptizari uelit, infantes poenitere cum non possunt, nomine familiae non comprehenduntur. IOIADA. Quid funem ex arena semper texis? An non superius satis probauimus non adultos solum esse baptisandos? Vos autem sic obduruistis, ut neminem credatis baptisandum esse, quam eum, quem factorum poenitere possit. Et deinde infertis infantes baptizari non debere. Sed interim legens nullam adhuc ostendistis quae baptizare infantes uetet. Nos (quod et supra docuimus) scimus Isaac etiamnum infantem sic esse de familia Abrahae, ut et ancillam et de ea natum, parentem ipsum pellere compelleret. Paulus enim cum Mose ait, Non erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac. Haeres fuit, indubie ergo de familia fuit. Nam et de familia sunt, qui haeredes non sunt, ut serui et liberti. Sic Exodi 12. legimus: Si quis peregrinorum in uestram uoluerit transire coloniam, et facere passah domini circumcidetur prius omne masculinum eius, et tunc rite celebrabit. Cur hic dicitur omne masculinum eius? an hoc quoque ad adultos pertinet? Vestrum ergo est scripturis probare quod qui pro ritu atque religione parentum, ecclesiae dei signum recipiunt, de familia parentum suorum non sint. Sed aliud testimonium adducam, Actorum 21. sic scribit Lucas: Et post dies aliquot proficiscebamur,

deducentibus nos omnibus cum uxoribus & liberis
 &c. An & hic liberi adulti modo sunt, & si adulti
 non sunt, de familia nō sunt? Quid ergo miraculi, aut
 quæ propensio, si patres familias cū uxorib. & iuueni-
 bus aut adolescentib. apostolū deduxerūt? Sed hæc fuit
 propensio, quod patres cum uxoribus infantes secū et
 ferrent & traherent, quemadmodum in tanto studio
 fieri solet. Iam utiq; non trahebāt secum alios, sed suos
 liberos, de eorum ergo erant familia. SIMON,

Quid ergo si ad familiam pertinent? Nam etiam si
 in familijs fuerunt non sequitur ideo fuisse baptisatos,

IOIADA. Quomodo ergo Paulus dicit se
 domum Stephanæ baptizasse, quam non baptiza-
 uit, si pueri in ea fuerunt quos non admisit? Deinde in
 Actis dicitur: Baptisatus est (custos scilicet carceris)
 ipse, & tota domus eius. Hic dicit omnē domum bap-
 tisatam. Quid causæ est cur non uideatis hoc inter initia
 credentibus fuisse in more, quod Abrahamo, & poste-
 ritati eius, qui omne seruorum suorum genus circum-
 cidit, nedum liberos? Et Exodi 12. (ut iam auditum est)
 precipitur circumcidi debere omnē familiæ marem,
 & nulla uspiam fit credendi, aut agnoscendi dei (quæ
 tamen præcipua omnium cura esse debet) mentio.

SIMON. Videris mihi semper ea ommittee-
 re, quæ contra te faciunt. In epistola enim Corinthio-
 rum Paulus talem familiam nominat, quæ facile osten-
 dat

dat non infantes sed ratione præditos intelligi debere.
 Dicit enim: Nostis domum Stephane quod primicia
 sunt in Achaia, & in ministeriū sanctorum seipso or-
 dinauerunt ut suis eis subditi, atq; omni cooperanti,
 atq; laboranti. Cur uos nihil de huiusmodi familia di-
 citis? IOIADA. Sæpe iam respondimus sy-
 nedochicum esse sermonem, qualis 1. Cor. 10. Patres
 nostri omnes sub nube fuerunt, fuerunt enim & infan-
 tes sub nube, at singularis eorum nulla fit mentio. O-
 mnes mare transierunt. At infantes transire non pote-
 rant. Transibant ergo qui non transibant, sed baiula-
 bantur ab his qui transibant. Sic in familia Stephane
 fuerunt qui primi crederent ex Achaia, fuerunt simul
 qui de ecclesia essent, qui actu per ætatem non crede-
 rent, neq; ministerio sanctorum sese manciparent. O-
 mnes in Mose baptisati sunt, omnia de patribus loqui-
 tur, hoc est, de maioribus & abauis, quos tamen sic
 accipimus, ut qui tum pueri infantes essent, nunc Pau-
 lo patres adpellentur. Ex his enim fuit populus Israëli-
 ticus. Non ergo soli adulti baptisati sunt in Mose, sed
 infantes quoq;. Qui enim in maris rubri transitu infan-
 tes erant, si baptisati non sunt, non recte dixit aposto-
 lus, omnes baptisatos esse in Mosen, fuerunt enim ipsi
 quoq; ut iam diximus posteriorū patres. SIMON.
 Figura hæc fuit, quid ergo ea probabis? IOIA-
 DA. Recte sanè, figura fuit quod sicut tunc infan-

tes de familia patris tam terreni quàm coelestis erant, & sacramentis eorum signabantur, sic et nunc quoq; qui Christianorū liberi sunt, dei quoq; filij quum sint, filiorum dei sacramento utantur. Non inuenies rimam ullam qua possis elabi. Factis enim atq; exemplis stulte ad negatiuam argumentamini, Imò à non factis & non exemplis. Quid enim aliud agitis, quàm: Apostoli non leguntur baptizauisse infantes, ergo baptisandi non sunt? Nos non itidem, sed factis, si modo exemplis standum esset atq; iudicandum, niti possemus, hoc modo: Hebræorū pueri infantes baptisati sunt omnes sub nube & in mari perinde atq; nostri. Paulus in hoc totus est prædicto loco, ut probet eos non minus nostris sacramentis initiatos, quàm nos ipsos. Sequitur ergo primum, quod tempestate Pauli, mos fuit apostolorum infantes baptisandi. Secundo, quod si quis inficietur, iam Pauli sententiam uitiat. Quid enim aliud isthic quàm paria facit? non esse nos illis superiores, illos autem nobis non inferiores. Tribuit ergo eis eadem sacramenta quæ nos habemus, nobis autem ista quæ ipsi habuerunt, ut Col. 2. Non possent aut prisci isti omnes esse baptisati perinde atq; nos, si nos non oēs baptizaremur cū familijs. His ergo omnib. baptisatis, nobisq; parib. factis, sit manifestū, quod sicuti ipsorū infantes omnes in mari baptisati sunt in Mosen, sic credētium quoq; oēs tempore apostoli baptizarentur in Christū.

Synechdochice

Synekdohice ergo de filijs Israël dictum est, Omnes mare transferunt, quum tamen ad uerbum ipse transitus ijs modo conueniat, qui per aetatem aut ualetudinem ire poterant. Et omnes eandem escam spiritalem comedisse, quum ij modo ederint, qui spirituales erāt, nihilo tamen secius de omnibus dici qui ederint. Sic & hoc loco si Paulus hanc uocem (omnes) addidisset etiam atq; dixisset: Omnes de Stephane domo aut familia dediderunt seipso ministerio sanctorum, adhuc tamen ipsa synekdoches ui & infantes simul in familia fuisse intelligerentur, & domino sese dedidisse ij, qui iam credidissent. Hoc enim ingenium est synekdoches, ut cum omne aliquod corpus, quod partes multas habet easq; aliqua in re similes, aliqua dissimiles, si interim de uniuerso corpore quid prædicatur, de parte tamē intelligatur. Interim uero si de parte corporis prædicatur, de toto tamen corpore intelligatur. Exemplis discite quod dico. Exibat ad eum omnis Iudæa. Videtis hic omnem Iudæā pro ijs tantum poni qui exibant, atq; duplicem esse synekdochen: unam qua continens pro cōtento accipitur, Iudæa scilicet regio pro incolis: alterā qua dicitur omnes habitatores exiisse, quum bona pars solummodo ad eum exiuerit. Contra uero Esaie 3. pro eo quod eleuatae sunt filie Zion. Ibi filie, pars Zion sunt, attamen pro omni populo, maxime principibus ponuntur, qui impie cristas contra

Synekdoh.
cha.

dominū erigebant. Exodi 16. Murmurauit omnis ecclesia cōtra Mosen. At quomodo pueri murmurarūt? qui quod gereretur, ignorabāt: quod si nō murmurarūt nō murmurauit omnis ecclesia, ipsi enim infantes de ecclesia erāt. Videtis quales nā literatores sitis, λογισμῶν laboratis, et quo maxime fidentis, foedissime ignoratis. Literæ enim soli hæretis, et quod ad expediendam literā inter prima pertinet, ignoratis. Dic obsecro Simon, quibus dictum sit, Non sumas inuicem nomen domini dei tui in os tuū, et, Ne fureris, & similia: SIMON. Adultis qui populus atq; ecclesia dei erāt. IOIADA. Ergo pueris quoniā ista dici nō possunt, nō erunt de ecclesia & populo dei? Absit, erant enim infantes mēbra populi dei, imō patres populorū, Gen. 25. Cōstat ergo quod quæcunq; ad corpus aliquod aut uniuersitatē dicuntur, atq; in ea uniuersitate pars est cui nō cōpetit quod dicitur, nihilominus est de isto corpore, etiā si quædā ad se nihil pertineant. Atq; rursus, si aliquid parti huius corporis aut uniuersitatis dicitur, quod tamen ad eam partem minime pertinet, sic ad totum corpus pertinet, ut eas tantū partes tangat et admoneat quæ ei quod dicitur possunt esse obnoxie.

Hæreditas mea Israël dicit dominus. Quibus nam hoc dicitur? nōnne omni posteritati Israëliticæ? At pueri hoc non capiunt. Non ergo sequitur, non esse de hæreditate, aut peculiari populo, sed quum pars sit, quæ
quod

quod dicitur minus intelligit, nihilominus ad totum corpus pertinet. Sic quum Christus dicit: *Ite docete omnes gentes baptisantes eas &c.* docebant apostoli omnes quotquot ad doctrinam erant adcommodi, & baptizabant quotquot ad baptismi sacramentum erant idonei. SIMON. Ego infantes baptisandos omnino non censeo, quandoquidem tam diserte Christus dicit: *Ite in orbem uniuersum & predicat euangelium, qui crediderit & baptisatus fuerit &c. & Euntes docete omnes gentes.* IOIADA.

Hoc unicū asylū est quo semper uos recipitis, quasi Christus illic baptismū instituisset, quū Ioannes & apostoli longe antea dū uiueret ad huc Christus predicarint et baptizarint. Certamen erat inter apostolos euangeliū predicandū sit gētibus nec ne? Quod quidē certamen partim ex falsa collectione, partim uero ex uerisimili oriebatur. Fallacia collectionis hæc erat: Nobis promissus est Christus, ergo gentium non est. Quis enim tam expers sensus est, qui non intelligat sequi nulla ratione posse, Nobis Iudæis est promissus Meschia, ergo gentium non est. Fieri enim potest ut & gentibus sit promissus, id quod sacrae literæ multis in locis testantur. Sic & uos (sed falso) colligitis, Testantur apostolorum scripta eos qui audissent & credidissent baptisatos esse: ergo infantes non sunt baptisati ab eis. Simul enim ueræ esse possunt ambæ istæ:

Apostoli baptizarunt credentes: & , Apostoli baptis-
 zarunt infantes. Vos uero indefinitā propositionē ex-
 clusiuā facitis. Vtraq; enim istarū exclusiua est: Nemo
 debet baptizari nisi prius credat: et, Infantes nō debēt
 baptizari. Quarū nullā ex scripturis probare hacten-
 us potuistis. Verisimile autē quo adducebantur aposto-
 li, ut putarēt gentibus non esse prādicandū euangeliū,
 hoc fuit. Interdictū eis erat in prima missione, ne in uia
 gentiū abirēt & c. quo uerbo licebat eis esse cōtentio-
 sissimis, Christū ipsum in hoc esse, ut solis se Hebrais
 seruet. Quale uerbū si uos haberetis, dii boni qua nos
 dudū procatia obruissetis? Aduertite igitur. Hęc duo
 mandata (euntes docete omnes gentes bapti. & c. &
 ite in orbem uniuersum prādicare euang. & c.) di-
 spensationem atq; abrogationem huius interdicti (in
 uiam gentium ne abieretis) esse. Dudum enim & do-
 cuerant & baptizauerant, quod uos uel non obserua-
 tis, uel callide dissimulatis. Qui ergo hactenus intra
 Iudæe septa conclusi erant, eis iam aperit totius mun-
 di prouinciam. Isti ergo loci nunc tandem uelut anti-
 thestes priori opponuntur. SIMON. Locus
 quem ex Actorum 2. cap. superius obiecisti, contra
 te pugnat maxime. Sequeretur enim quod infantes bo-
 na sua etiam uendidissent, atq; distribuissent, & alia
 multa hinc colligi possent. IOIADA. Quum
 sic colligitis: Si infantes inter credētes numerati sunt,
 ergo

ergo distribuerunt bona ac distraxerūt, orarunt, fregerunt panem &c. Nam credentes talia fecerunt, ut ex sequentibus liquet. Quis non uidet uos ad literam omnia exigere, nec tamen literam recte expendere? Infantes omnino de parentum sunt familia, quod satis superq; probauimus, quos quum uos sub sarcinarum & rerum nomine quā credentium comprehendere mauultis, non tantum impie, sed & immaniter faciis. In synekdocha nō requiritur, ut quidquid de aliquo toto corpore dicatur, uerū fiat de omnib. partibus. Non enim est synekdocha, ubi id quod prædicatur, de singulis uerum sit partibus, tunc enim tropus non est. Tum uera est synekdocha, quum uel corporis alicuius pars pro toto corpore accipitur, uel totum corpus pro parte. Ut in Exodo cap. 23. scriptum est ter in anno adparebit omne masculinum tuum coram domino. Hic uides (omne.) Dic ergo num & infantes in cunis ex tota Palestina ter in anno Hierosolymam baiularentur? Si dicis quod sic, ergo infantes quoq; (secundum tuam argumentationē) septē diebus azymos edebāt, agros seminabāt, primitias omniū fructuū offerebāt. Id aut quū nullatenus fecerint, sequitur masculos non comprehendi. Si non adferebātur, iam non erit uerum quod omne masculinū ter in anno adparuerit coram domino. Est ergo synekdocha quū dicitur: Omne masculinum. Et quamuis prima fronte speciem præbeat

quod omnis mas iubeatur adesse ad tres panegyres, hi tamen soli tenentur lege qui uel eò adulti erant, ut doctrinam capere, aut primitias offerre, aut arborum frondes circumferre possent, pro festorum uarietate, atq; rituum ratione. Sicut Deuter. 31. scriptum est de comparendo ad legis lectionem in celebritate tabernaculorū: adparet eos aduenisse pueros, qui iam intelligere, quod legebatur, incipiebant. SIMON,

Quid est synecdocha aut unde uenit? IOIA

DA. Synecdocha composita est ex syn, & ek, & dechome. Quasi dicas: Quum totū corpus accipio, ali quid seorsum intelligo ex eorum numero, quæ simul in eodem corpore comprehenduntur. Latine potest dici comprehensio, tamē Græcanico non omnino correspondet. De uoce autem quid litigamus? Tu iam dic an tibi nostra ista quæ hactenus differuimus satisfaciunt? SIMON. Nihil habeo quod contra ista tam manifesta adferam. Neq; decens est ut quis contra ueritatem pugnet. Quæ ergo à me obiecta sunt,

sic accipe ut ab ignorante prolata qui

tamen doceri cupiat. Iam de octa

uo articulo si placet di

cemus.

DE

DE RERVM COMMVNICATIONE

& proprietate, de cura domestica aut oikono-
mia, de misericordia & beneficentia.

IOIADA.

Non puto uel scripturis uel exemplis cogi pos-
se, ut propria quæ habet, communia faciat,
quo minus possideat domus, agros, prædia,
aliaq; huius generis Christianus homo. SIMON.

III.
TRACT.

An non officium Christiani hominis est, conari ad
perfectionem? Dicit enim deus: Estote sancti quemad-
modum & ego sanctus sum: Estote perfecti quemad-
modum pater uester coelestis perfectus est. Iam Chri-
stus perfectionem istam esse dicit, ut omnia distraha-
mus & demus pauperibus. Cõmunia ergo omnia ha-
beamus necesse est. IOIADA. Quod studium
hominis Christiani ad perfectionem tendere debeat,
facile concesserim, modo recte intelligatur. Duplex
enim perfectio est, altera diuina: humana altera. Di-
uina omni ex parte absolutissima est, cui nihil deesse
potest. Deus enim summum est bonum, ex quo quid-
quid bonum est fluit. Neq; sub lege est deus, sed su-
pra omnem legem, cuius aeterna uoluntas lex est. Hu-
mana uero perfectio manca est, neq; unquam sine ui-

SIMON. Si infirma est et cui desit semper, quo

modo ergo perfectio dicitur? uidentur hæc repugnantiæ esse. IOIADA. Perfectio hæc humana, perinde est atq; nostra, hoc est, Christianorum iustitia. De iusto enim scriptum est, quod septies in die cadat. Si cadit, iustus esse quomodo potest? Quod si iustus est, quomodo cadit? sed huic fides sua, studium & cura quibus præditus est semper, & anxie uigilat, pro iustitia ei reputatur. Interim non abest morbus, non abest affectus & uitium, sed ex gratia non impunitatur. Iam ergo fidelis iustus est, & nihilominus peccator. Sic & Ioānes loquitur: Qui ex deo est non peccat, interim qui dicit se peccatum non habere, mendax est, & in eo non est ueritas. Similis ratio est de humana perfectione. Perfectus potest esse Christianus, quatenus fidem habet & studium ardens innocentie, idq; ex gratia, sine uitio & peccato esse non potest.

SIMON. Quid opus glossemate, scriptum est: Estote perfecti quemadmodum pater uester cælestis perfectus est. IOIADA. Impossibile hoc nobis, nisi similes deo esse uelimus. Sed uelim Christi uerba recte intelligas. Monet Christus imò urget suos, ut ad perfectionem dei uel quàm proxime annitentur. Nam pauci sunt qui exemplar propositum effingāt et imitentur, serè infra typum manēt qui exprimere uel maxime conantur. Ad perfectionem ergo monemur, sed humanam. Tum enim perfecti iudicamur, si innocentissime

centissime (quantum per carnis infirmitatem fieri potest) coram deo uixerimus, etiam si carnis impuritas comitetur, & non ad purum omnia sint excocta, per gratiam enim dei puri iudicamur. SIMON.

Quæ de humana perfectione fabularis, non intelligo. Hoc scio, deum summum esse fontem omnis iustitiæ & innocentie, perfectissimum & purissimum, nulla affectuum aut uitiorum fece infectum. Hanc perfectionem à nobis quoq; requirit. Dicit enim: Estote sancti, quemadmodum ego sanctus sum. Neq; passurus est in familia aut regno suo quenquam, qui tanta perfectione non sit præditus quantam ipse requirit. Deus enim ignis consumens est, apud quem nemo habitabit impurus. Nihil enim impuritati ignis ille purissimus admittit.

Sic enim Esaias dicit 33. Quis ex uobis poterit habitare cum igne deuorante: aut cum ardoribus sempiternis? Ad hanc questionem mox responsionem subiicit propheta, dicens: Qui ambulat in iustitijs et loquitur ueritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obdurat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne uideat malum: iste in excelsis habitabit &c. Similis locus est in Psalmo 15. IOIADA. Pulchre legem, hoc est, eternam & immutabilem dei uoluntatem ex ore dei enarrasti Simon, sed interim euange-

lium & gratiam per Christum dissimulas. Ita profecto est ut dicis, perfectionem hanc summam quam deus solus habet, à nobis quoque requirit, quo præcepto infirmitatem nostram discimus, & ad desperationem adigimur. Nemo enim mortalium sine affectibus esse potest. Deus autem cor purum & omnibus affectibus repurgatum exigit. Nemo ergo unquam cum deo habitare poterit. Hic si sistis, nec oleum tanto, quod inflixisti, vulneri adhibes, nonne in desperatione & morte saucium relinquis? Recte ergo hactenus ex lege in cognitionem nos nostri adduxisti, sed non oportet relinquere semimortuum & ad mortem usque con-sauciatum. Quin ostendere, quomodo deus nostri miserus, filium suum unigenitum miserit, qui nostra assumpta infirmitate, hostia factus est pro peccatis nostris.

Is enim quum sanctus esset sanctorum, sanctoque spiritu conceptus, ex uirgine nascendo nihil contraxit sordium. Innocens ergo pro nocentibus: purus pro impuris: iustus pro iniustis mortuus est, & sua morte iustitiæ diuinæ satis fecit, adeoque damnatos nos patri reconciliauit. Ambulamus ergo iam non in nostra iustitia, sed in iustitia dei, quæ Christus est. Hoc antidotum anxie & desperabundæ conscientie adhibendum erat, quam à desperatione seruare cupis. Qui enim euangelio credit, saluus erit, & uitam habebit æternam.

SIMON,

SIMON. Quasi uero per Christum aboli-
tum sit, quod pater à nobis postulat. An non & Chri-
stus idem exigit cum dicit: Estote perfecti sicut & pa-
ter uester coelestis perfectus est? Non uenit Christus ut
legem tollat, sed ut impleat. IOIADA. Eandem
à nobis perfectionē Christus, quam pater exigit, quam
tamen præstare nunquam possumus. Impossibile enim
est, dum hic uiuimus, ut tantam præstemus puritatem.
Christo ergo seruatore & mediatore nobis est opus,
per quem aditus ad deum pateat credentibus. Is aduo-
catus noster est & intercessor unicus apud patrem,
propitiatioq; pro peccatis nostris, idq; in perpetuum.
Is enim unica oblatione semel in cruce oblata in per-
petuum sanctificat credentes. Tanto itaq; morbo, gra-
tiam per Christum exhibitā oppono, non tollo legem
quam exigit deus. SIMON. Audio quo tendas,
præcepta dei ac Christi cōsilia interpretaris, id quod
olim fecerunt pontificij. IOIADA. Absit à me
hæc impietas. Præcepta sunt quæ sacrosancta iustitia
dei à nobis requirit, nec quenquam ad gaudij sui con-
sortium admittit qui hæc non præstat. Summam exigit
à nobis innocentiam, summam puritatem, quæ omni-
bus affectibus & cōcupiscentijs sit libera, quam dum
præstare non possumus, an non (quod ad uires nostras
attinet) de salute nobis est desperandum? At interim
dum sic mortui et desperabundi iacemus, in Christum

exaltatum in cruce, oculos intendere oportet, seruato
 rem nostrum, qui semetipsum dedit pro nobis, ut redi-
 meret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi po-
 pulum peculiarem sectatorem bonorum operum. Hæc
 loqui & exhortari conuenit. SIMON. Hæc ue-
 ro cum ita docentur ignauos et socordes faciunt, quo-
 minus ad præscriptum dei & exemplar Christi uitam
 instituunt homines. IOIADA. Haudquaquam,
 semper ob oculos habent præceptum dei fideles, et sum-
 mam istam iustitiam dei expendunt ac à se exigunt. In
 qua primum discunt diuinam uoluntatem, quam ex-
 cellens bonum sit deus. Nam non solum à nobis sum-
 mam innocentiam requirit, sed ipse summe iustus &
 innocens est, tyrannis huius mundi longe dissimilis,
 qui grauia suis præscribunt, quum sint ipsi pessimi.
 Deinde agnita uoluntate dei summo studio ad exem-
 plar diuinæ iustitiæ uitam et mores conformare conan-
 tur, quotidie sese meliores euadentes, donec adolescant
 in uirum perfectum, in mensuram ætatis plene adultæ
 Christi, Ephes. 4. Nunquam tamē sibi in operibus suis
 placent, nunquam operibus suis quamlibet iustis fi-
 dunt: si quid boni operantur nihil inde sibi, sed totum
 deo adscribunt: nihil meritis, nihil uiribus suis, sed so-
 li diuinæ misericordiæ omnia tribuunt: omnia opera
 sua quantumuis perfecta, adhuc à summo illo exem-
 plari sibi proposito longe abesse, imò impura & men-
 struo

struo panno similia agnoscunt. Quantumuis uero in se se desperent, quod uident se non posse tantā perfectionem assequi, in eo tamen non desperāt, qui omnes infirmitates nostras in se se suscepit, qui peccata nostra in corpore suo super lignum pertulit, et patri pro nobis satis fecit. Non aspernantur gratiam dei. Vitam quam iam in carne uiuunt, in fide filij dei uiuunt, qui eos dilexit et semetipsum pro illis tradidit, Gal. 2. Pars ergo præceptorum diuinorū internum hominem format: pars externum. Quæ internū formant perfectissima sunt. Comprehenduntur autem omnia in duobus istis: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ut teipsum. Hæc si seruarent homines alijs præceptis nihil fuisset opus. Sciens ergo nostram imbecillitatem deus, quod scilicet nemo tantam perfectionem præstiturus esset, quædam præcepta ad imbecillitatem nostram attemperat, & pro captu nostro se se aliquousq; demittit. Qui enim præcipit, ut non concupiscamus, idē præcipit ne furemur. Si absq; concupiscentia esse possemus, nihil opus fuisset hoc præcepto, ne fureris. Posterior tamen præceptorum ordo affectibus uiam præcludit, & frenum iniicit ne impudenter, in illis qui non amore iustitiæ sed poenæ metu à sceleribus sibi temperant, erumpant, conuersationē externam & humanam respicit, magis coram hominibus nos, quàm coram deo iustos constituens.

Fieri enim potest, ut aliquis manu nihil furetur, nec res proximi attingat, qui tamen coram deo fur sit, quum absq; concupiscentia nemo uiuat. SIMON.

Vis ergo quod homo præceptis inferioribus cōtentus ad perfectissima non annitatur? IOIADA.

Si obseruasses quæ paulò ante dixi, hoc me uelle ne suspicareris quidem. Duo dico. Deus summam & absolutissimam perfectionem ab omnibus hominibus requirit, perfectissimū exemplar & in lege, & in Christo nobis proponēs, quod omnibus sine exceptione exprimendum est. Alterum, In hoc studio, quod in fidelibus est perpetuum, nemo assequitur quod debet, omnes infra propositam metam manent, ut in conspectu & iudicio dei nemo sit iustus. Hic uero medium se Christus interponit, adiuuās imbecillitatem nostram, & culpam quæ in nobis est in se transferens patri pro nobis satisfacit, ut in eo simus iusti, qui in nobis iusti esse nequaquam possumus. Hoc uero studio quod per fidem perpetuum est, deus contentus, propter Christum nobis quod deest remittit. Et hanc perfectionem superius dixi humanam, tum quod homo maiorem præstare nō possit, si uel maxime annitatur: tum quod hanc à fidelibus deus propter Christum boni consulat utcunq; imperfectam. Vos utrunq; horum negatis. Dicitis enim uos esse sine peccato puros & perfectos. Deinde his qui ex infirmitate carnis labuntur gratiam

gratiam dei negatis. SIMON. Omnibus ergo
 prædicanda est hæc diuina perfectio, & huc urgendi
 homines ut eam exprimant? IOIADA. Adeo,
 ut uita potius amittenda, quàm intermittenda hæc præ
 dicatio diuinæ perfectionis. Huc omnes nerui tenden
 di, ut omnibus nota sit, ut oēs eã exprimant: lux hæc
 perfectissima diuinæ uoluntatis nec abscondi debet
 nec dissimulari. Sed nunquam interim obliuioni tra
 dendum, quod Christus nobis manum porrigit si quan
 do deficimus, & quod nobis deest locupletissime re
 sarcit. Oportet ergo omnes homines monere, imò ur
 gere, ad hanc perfectionem summam & diuinam, at
 non oportet eum qui hanc non præstat, quum tu uo
 lueris, statim abijcere, et è Christianorum numero ex
 cludere, quemadmodũ uos catabaptistæ facitis. Omni
 no bonus non est, qui in alijs infirmitatem et morbum
 ferre nõ potest. Quæ hæctenus diximus exemplo Chri
 sti manifesta faciemus. Venit aliquando ad Iesum ado
 lescens prædiues, qui præcepta dei à pueritia se obser
 uasse gloriatus, & perfectionem nescio quàm simu
 lans, aliter à domino instituitur, & errare fortissimo
 testimonio cõuincitur. Dicit enim Christus: Si uis per
 fectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da
 pauperibus. Hoc dicto docet Christus multum adole
 scenti adhuc deesse uel ad perfectionem, uel ad man
 datorum diuinorum obseruantiam. Quod & adole

scens ipse tam tristi habitu testatur. Nam non fecit quod Christus docuit, adeo ut merore magno afficeretur, utcunq; sibi uideretur perfectus. Si primum preceptum obseruasset, deum plus quam diuitias suas dilexisset. Neq; tamē hunc Christus propter imperfectionem & impuritatem affectuum abiicit, aut damnat, quin intuitus cum propensionem quandam & amorem erga eū ostendit, indicans deesse sibi adhuc quiddam, ne sibi nimium placeret submonens. Hæc non negligentes faciūt, sed ostendunt quā multa nobis adhuc desint. Urgent ergo ut omni mora posita ad exemplar propositum annitamur. Nondum assequuti sumus, sed in hoc quotidie sumus ut assequamur. Quod si absq; affectibus et cura rerum corporalium non omnino esse possumus, saltem hoc curemus, ut primas in corde nostro deus obtineat, si diuitiæ adfluāt ne cor apponamus, ne cura temporalium omnem curam dei excutiat. Hoc ut diuites admoneat Timotheus, Paulus diligenter inculcat, Tim. 6. Qui hūc animum habet, Christianus habetur & perfectus, etiā si non oēs facultates omnibus cōmunes facit. Nondū ergo probasti, neminē posse Christianū esse qui non ita sit perfectus, ut omnia eo modo communia faciat quo uos perhibetis. Discrimen habent in his sacræ literæ, et discriminatim de his loquuntur. Perfectionē docent, et ostendūt nos omnes debitores esse dei. Super hæc uero, eos, qui di-

uitias

uitias habent & illis recte utuntur nec deo præponunt, sanctos & iustos adpellant, perfectos etiã, quatenus homini datum est esse perfectum. Errasti ergo, quum perfectionem dixisti hãc esse quum quis omnia sua in commune ponit. Quid hoc aliud est, quã operibus nostris iustitiam tribuere? Qui facultates in commune ponit is Christianus uobis & perfectus est: qui id non facit, hunc è cœtu sanctorum & regno Christi excluditis. Quum salus solius Christi sit, & meriti eius ac crucis. Perfectio, remissio, uita sancta, puritas, omnia sunt solius Iesu Christi, quæ ab eo per fidẽ accipimus. Si omnes facultates meas distribuerem, charitatem autem & gratiam dei non haberem, nihil mihi proderit. Hoc interim non negamus eleemosynam & beneficentiam fructus esse fidei & spiritus, et signum quo fidem adesse deprehendimus & iudicamus. Sic enim Iacobus loquitur: Quæ utilitas fratres mei, si fidẽ dicat aliquis habere se, facta uero nõ habeat? num potest fides (uana illa scilicet) saluũ facere illum? Quod si frater aut soror nudi fuerint & egentes quotidiano uictu, dicat autem aliquis uestrum illis, abite cum pace, calescite, & saturamini, non tamen dederitis illis quæ sunt necessaria corpori, quæ erit utilitas? Sic & fides si facta non habuerit mortua per se est. SIMON. Quid ergo, quum uideamus nullam charitatem, fidem nullam in mundo esse? IOIADA.

Profecto nemo hoc probat, dignumque est ut hanc prauitatem & iniquitatem grauibus uerbis quotidie damnemus. Non potest tamen negari interim esse per multos qui uiri sint boni & in pauperes benefici. Ab tu nondum probasti quod omnia sint aut esse debeant communia. SIMON. Hoc enim charitatis est ingenium. Et 1. Ioan. 3. sic scribitur: Qui habuerit substantiam huius mundi et uiderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauscrit uiscera sua ab eo, charitas patris non est in eo. Quandoquidem ergo charitas insigne est Christianorum Ioan. 13. & charitas communicationem bonorum in se habet, colligo officij Christiani esse, ut nemo proprium quid habeat, sed omnia sint inter Christianos communia. IOIADA.

Quod charitatem insigne Christianorum dicis, quod charitate destitutus sit qui fratri egeno non consulit, tecum probo. Quod uero hinc colligis charitatem in se comprehendere talem bonorum communicationem quam uos fingitis, probare non possum. Charitas enim quae finis est legis, legi non aduersatur, nec lex repugnat charitati in quam ut scopum respicit. Nam Paulus dicit Roma. 13. Qui diligit legem impleuit. Nihil ergo in se habere potest charitas quod legi aduersetur. Communicatio bonorum legi aduersatur: ergo in charitate non est comprehensa. Lex enim dicit: Ne concupiscas: ne fureris. Huic legi iam aduersatur bo

tur bonorum communicatio, nihil ergo est quod eam
 charitate asseras. Nam sic in Paulo sequitur: Siquidem
 illa, Non adulteraberis, nō occides, non furaberis, non
 falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod
 aliud est præceptum, in hoc sermone summam com=
 prenditur, nempe, diliges proximum sicut teipsum.
 Dilectio proximo malum non operatur: cōsummatio
 itaq; legis est dilectio. Si malum proximo non infert;
 non publica facit ei bona sua. SIMON. Ex hi=
 sce sequeretur apostolos quoq; contra legem & cha=
 ritatem designasse, quum ex charitate inter se omnia
 haberent cōmunia, quod Acta de eis testantur. Exem=
 plum ergo hoc Christianorum & sanctissimorum ho=
 minum, sententiam tuam subuertit. IOIADA.

Apostolorum factum generale exemplum non est,
 ut postea latius patebit. Quod uero communia omnia
 habebant, neq; contra charitatem, neq; contra legem
 factum est. Nam non tanquam lege communicatione
 ista utebantur apostoli, quod catabaptistæ urgent.
 Spiritus sanctus qui erat eis datus, & per quem
 charitas diffusa erat in cordibus eorum tantus erat,
 ut sponte quisque offerret in commune. Apostoli ne=
 minem cogebant, ut sua offerret. Non ergo lex e=
 rat sed charitas imò lex charitatis. Nec seclude=
 bant è numero Christianorum qui sua non offere=
 bant. Hoc ex uerbis Petri clarum fit, qui dicebat

Ananiæ, Acto. 5. Nónne prorsus tibi manebat, & uenundatus in tua erat potestate? Hic intelligis facultates Ananiæ sic fuisse proprias ut non cogeret uendere, deinde etiam uenditi pecuniam sic in sua esse potestate, ne in commune dare cogeret. Non ergo apostoli fidelium bona publica aut communia fecerunt, sed charitas. Si quis tanta erat præditus ut sua bona communia cæteris faceret, grato id animo acceperunt apostoli. Sin minus, manebat suum cuiq; nec coctu excludebatur fidelium, modo diuitijs recte uteretur. In hoc iam uos erratis, quod charitate & præsentis exemplo apostolorum, omnes indiscriminatim tanquam lege quadam cogere uultis, ut facultates suas communes omnibus faciant. An non lex est quum eum, qui hoc non facit, pro Christiano non habetis? Hoc apostoli fecisse non leguntur. SIMON. Tu uero unde probabis, quod Christiani propria habere possint?

IOIADA. Manifestis scripturis, & exemplis ex scriptura petitis. Nunquã in hoc fuerunt nec Christus nec apostoli, ut hanc in populo confusionem inducerent, ut permixtim omnes sederent ociosi, parta in cumulum posita absumerent. Quid enim opus fuisset istis præceptis, Ne concupiscas: ne fureris? Si enim omnia essent cõmunia, nemo alteri furari posset, quum unusquisq; sua reciperet. Perinde enim suum esset, ac alterius. SIMON. Charitas quæ legem implet,
omnia

omnia sustinet. IOIADA. Nec proximo malum operatur, nihil iniqui committit. Audi Paulum 1. Thes. 4. Cæterum de fraterna (inquit) charitate non necesse habetis ut scribam uobis, ipsi namq; diuinitus docti estis, ut diligatis uos inuicem. Nam et facitis hoc erga cunctos fratres, qui sunt in Macedonia. Obsecramus autem uos fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti sitis, & agatis res proprias: & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honeste erga extrarios, et nulla re uobis sit opus.

In his Pauli uerbis intelligimus, primum, charitatis quæ à deo est ingenium non esse, ut omnia in commune ponat. Secundo, laudat Thessalonicenses, quod opem ferrent Macedonibus, nimirum quod dabant et impartiebantur illis sua. Quod facere non potuisset, si omnia fuissent communia. Hac enim rerum communicatione uirtus misericordiæ & beneficentiæ tollitur. Quid enim das de tuo, si omnia sunt communia? Tertio, iubet ut res agant suas, suaq; curent, ut operentur manibus suis, ut habeant, ne aut egeant, aut ab infidelibus turpiter mendicare cogantur. An non hic rerum proprietatis, et Oeconomia graphice describitur? neq; tamen interim misericordiæ et beneficentiæ obliuiscitur.

Ad Ephesios 4. cap. Paulus sic scribit: Qui surde

batur, non amplius furetur, magis autem laboret, operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. Et hic rerum proprietatem in labore & beneficentia intelligimus. His adde iam exempla Abrahami, Loti, Isaaci, Iacobi, et familiarum Christianarum quarum in Actis apostolorum crebra est mentio. Hi omnes, quod negare non potes, facultates habuerunt, nec tamen sic effuderunt ut omnibus essent communes, licet egenis et Christianis multa tribuerent.

Ad Titum 2. Paulus anus docet, ut τὰς νέας σὺ φρονίσωσι εἰναι οἰκιστοὺς, hoc est, ut adolescentulas uxores scilicet in matrimonio existentes, moderentur, doceantque eas ut domum curent.

Clarius 1. Timoth. 5. Viduas honora quæ uere uiduæ sunt. Quod si qua uidua liberos aut nepotes habet, discant primum propriam domum pie tractare, & uicē rependere maioribus, hoc enim est honestum & acceptum coram deo. An non hic audis propriam domum et curam rei familiaris, & quod hæc deo placeant? Et Iacob patriarcha quum ex uxoribus liberos sustulisset ad socerum suum dixit: Iustum est ut aliquando provideam etiã domui meæ. Ex prædictis probatum puto, neque charitate neque apostolorum exemplo quenquam cogi posse, ut res suas omnibus faciat communes, nihilque proprium possideat. Huc uero monendum ut proprias res curet, ut familie suæ provideat, ut misericors & beneficus sit

cus sit in pauperes, ut ex proprijs facultatibus alijs im-
partiat. SIMON. Cur ergo dominus in crasti-
num sollicitos esse uetat? Matth. 6. IOIADA.

Anxiam & impiam curam prohibet Christus, qua
nimis torquentur carnales quidã, de bonitate et pro-
uidencia dei desperantes, iustam & piã pro suis soli-
citudinem, quæ coniuncta est cum fide in deum, non
uetat. Qui deo non fidunt, omnia negotia sua ex infi-
delitate agunt, non enim deum sibi scopum præfigunt,
non credunt deum curare res mortalium, putant sua
industria omnia parari & augeri, anxij & despera-
bundi in cordibus suis, nec tantum superesse putant
quod sibi sit satis. Hoc pij non faciunt, sed in primis
querunt regnum dei et iustitiam eius, proponunt si-
bi scopum deum, in hunc omnia opera sua dirigunt,
fidunt eius bonitate & uirtute, sciunt se omnia habe-
re ex manu & beaedictione dei. Interim tamen (quan-
do quidem laborem præcepit deus, & ocium auersa-
tur) quotidie ad ista, quæ deus ex sua gratia dat, iusto
labore industria & cura grassantur, non tamen ser-
uiunt mammonæ nec cupiditati carnis, omnem curam
suam in deum proijcientes. Qui enim suos deserit in-
fideli deterior est. SIMON. Adhuc negare non
potes, amicorum omnia esse communia. IOIA-
DA. Non contendo de uerbis, intellectum uerbo-
rum rectum & genuinum requiro. Caritas quidem

inter Christianos omnia facit communia, quod nolim huc rari, ut quisq; impudenter in aliorum bona ruptis repagulis & foribus irrumpat, aut ut aliquis cogatur sua omnibus profunder. Hoc enim publicæ honestati, humano pudori & omni rationi aduersatur. Pudet enim homines, modo integra et sana sint ratione, mendicare, semper student ut habeant quibus egent. Vbi uero inuincibilis est necessitas, ut ad amicam opis gratia currere cogantur, non hoc impudenter faciunt, sed supplices & magna modestia. Iam omnia sunt communia dū strenue laboratur, & in articulo necessitatis succurritur. Oportet ergo in negotijs consyderare circumstantias, & expendere diligenter omnia. Quod si non fiat, procliuē est in multis rebus turpiter errare, & uitam instituere prauam. SIMON.

Sed iam ad nonam conclusionem accedito, et quod in alijs fecisti, in hac quoque me sicubi erro rekoca.

Aduersus

ADVERSUS VAGOS SPERMOLONGOS & uerbosos homines, qui se inuocatos in prædicandi officium ingerunt, & ex populo pascunt ac saginant.

I O I A D A.

Hic, ne cui suspectus sim, de cata baptistis loquar, quorum bona pars domos uxores liberosq; deserunt, & quum à deo uocati non sint, sese tamen omnibus obtrudunt, & confundunt omnia. Irre pit aliquis istorum in familiam aliquam prædiuitem, in coetum simplicium et idiotarū, incipit legere quædam ex nouo testamento, idq; tantisper, dum ad rebaptisandū uentū est. Hic iā rebaptisatus ad inobedientia & omne genus cōtumaciæ instituitur, et ad cōtentiones et rixas armatur. Mox incipit odisse ecclesias, ministros conuitijs incessere, magistratus dānare, negare census et decimas, pueros ad baptismū non admittere, disputationem instituere quomodo omnium facultates sint omnibus communes, iusiurandum nec præstare nec præstitum seruare. In summa sic omnia nouant, ut magistratus cogatur in eos inquirere. Porro quum de erroribus appellentur, quidam negant, quidam in errore quamlibet edocti contumaces manent, et in exilium mittuntur. Quidam abnegant errorem, & palinodiam canunt: mox pœnitentia ducti, iuramenti præ

V.
TRACT.

stuti & promissorum immemores, rursus ad ingenium redeunt, & ad uomitum, ut inquit Petrus, desertis domo, uxore, liberis, incertis sedibus uagantur, errorem suum serunt ubiq; & infinitos seducunt, quemadmodum & ipsi seducti sunt. De censibus & decimis coram simplicibus & bonis uiris multa garrunt, non deberi illa ex iure diuino. Diuites non esse Christianos, nisi facultates suas in comune ponant. Dic Simon, hæc ne uocatio ex deo est? hos à deo uocatos & missos dices, quos arrogantia, pertinacia, contentio, hæresis, contumacia, perfidia, tumultus patrijs sedibus pellit? Taceo quod alios bene institutos seducunt, falsa spe, ac si decimæ et census danda nõ essent, lactant, interim illorum bonis, ut fuci apum labore, saginatur. Relinquunt enim artificia & officia sua, & à labore cessant, quæ neq; didicerunt neq; sciunt docere præsumentes. Hi omnes bonis uiris oneri sunt, quos grauant, quorũ bona absument & deuorant, nummosq; extorquent ut sectæ suæ consortes foueant.

Sunt inter hos uiri robusti, qui non ita dudum domus & agros possederunt, honestis rationibus & laboribus uictum quærentes. Iam ociosi in horreis rusticis iacent post sepes, post fornaces cum libellulis suis, *Sarende* *schüler.* similes illis quos Vagantes olim uocabant. Labor illorum est ut negotium facessant & tumultum, litera & uana expositione. Alij coclearia exculpunt, aut ex
uinnibus

inimicibus canistra texunt: alij aliud nugantur, ne ces-
 sare à laboribus uideantur, ne ociosi uiuere dicantur.
 Quod si omnia (quod tu putas) cōmunia essent, quan-
 tulo tempore tua quantumuis magna ab his fucis ab-
 sumpta uideres? Conqueruntur interim sese sedibus
 suis iniuria pulsos, apud suos libenter esse, sibi id per
 magistratus minime licere. Sed se ipsi pepulerunt con-
 tumacia sua, sibiq; suo iumento malū aduexerunt. E
 quo, si serio studerēt, sese extricare citissime possent.
 Sed se pascunt ex alijs, falsa religionis specie se uendi-
 tantes. Quid aliud olim monachi fecerunt, qui de Ro-
 sario Mariano tantisper nugabātur, donec farcimina
 tua petasones ac pernas in mantica sua haberent, te ua-
 na spe ludentes. Sic illi multa pollicentur, prestare ni-
 hil possunt. Macule sunt ergo Christiani populi da-
 mnata à Paulo qui 2. Thes. 3. capite sic scribit: Præci-
 pinus autem uobis fratres per nomen dōmini nostri Ie-
 su Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inor-
 dinate se gerit, & non iuxta institutionem quam acce-
 pit à nobis. Nam ipsi scitis quomodo oporteat imitari
 nos, quoniam non inordinate gessimus nos inter uos,
 neq; gratis panem accepimus à quoquam, sed cum la-
 bore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne
 cui uestrum essemus oneri. Non quod nobis id non li-
 ceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis
 ad imitandum nos. Etenim cum essemus apud uos, hoc

precipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is ne
 ederet. Audimus enim quosdam uersantes inter uos
 inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes.
 Iis autem qui sunt eiusmodi precipimus & obsecra-
 mus per dominum nostrum Iesum Christum, ut cum
 quiete operantes, suum ipsorum panem edant &c.
 Hæc tam fortia sunt contra catabaptistas, ut expositio-
 ne ampliori non sit opus. In priori epistola ad Timot.
 cap. 5. acerbius in illos inuehitur, dicens: Qui suis non
 prouidet, fidem abnegauit, & infideli deterior est.
 Quid hic dicet Eulella soror, quæ domi liberis ac ma-
 rito relictis fratrem Fulbertum sectatur? Quid Fulber-
 tus qui uxorem domi relinquit cum prole, & per gen-
 tes uagatur? Vides ut opinor qui sint maculæ & sor-
 des Christiani populi, peiores infidelibus quos damnat
 & auersatur scriptura. Nocentiores homines esse non
 puto, quam qui istiusmodi malis nituntur artibus. Chri-
 stiani hominis non est turpiter mendicare, sed labora-
 re ut & ipse habeat, & cæteris impartiat: non fami-
 liam negligere, sed curare. Hi uero diuersum faciunt,
 & quum alioqui satis sit ignauorum hominum, &
 magis quam Christianis deceat (qua re & hostes e-
 uangelij maxime offenduntur) illi nihil faciunt quam
 ocium inter Christianos et ignauiam plantare. Ex qua
 re ecclesia perplexa redditur, commaculatur & di-
 scinditur. Vnde nascitur inuidia, cupiditas alieni, im-
 patientia

patientia, odium, ignauia & socordia, ocium & fastidium. Istis perturbationibus agitantur hi, qui nunquam in ordinem cogi poterāt. Et hi sunt fructus prædicationis quam serunt catabaptistæ.

Scriptura passim ad laborem, ad opus hortatur, ocium damnat, isti ex diametro diuersum docent ac faciunt.

Iam fac, ut iuxta literam omnes nos, res nostras uendamus et demus pauperibus, quid supererit ergo quo & familiam & liberos alamus? Onerabimus alios? Sed hoc uetat apostolus. Quin nemo opitulabitur. Si quis Christianum accesserit, is nihil habebit, cogitur enim quisq; qui uere Christianus esse uelit, omnia uendere & dare pauperibus. Quid ergo dabit is, qui ipse nihil habet? Si gentilem adit, is ut odio habet Christianum nomen, nihil omnino dabit, quin potius conuiuijs eum insectabitur, ocium & fidem exprobrans, merito dicet: Ignauæ, an fides tua te robustum & ualidum docet ociari & ex alijs emendicare? cur non laborasti? cur tua non seruabas? quid alijs es oneri? &c. An hæc non in contumeliam diuini nominis & sacri euangelij uergunt? Hoc in primis cauerunt apostoli ne uita nostra offendiculo sit ethnicis, ne male audiat euangelium propter nos. Christus docet ut lux nostra sic luceat, ut homines opera nostra bona uideant, atq; hinc patrem cœlestem glorificent.

Sed dic quaeso, qui tandem erunt pauperes quibus distracta bona dabuntur? Christiani esse non possunt, qui iuxta doctrinam uestram nihil facultatum possidere possunt, mox enim accepta bona uendere coguntur, & dare pauperibus. Illi si sunt Christiani reuendere debent & alijs dare, quorsum ergo tandem bona uenient? Consequens est ut gentes & infideles sint pauperes isti quibus bona sunt impartienda. Ergo (qui sint pauperes) pauperibus Christianis opem ferre non queunt. Necessse ergo est ut fame pereant pij.

Quis non uidet hanc doctrinam insanam & stultam esse, quae omnem peruertit ordinem & honestatem inter mortales? Nunquam isti expenderunt, quonitantur, et quid ex tam stulta doctrina sequatur. Ignorant, ut Paulus inquit, quid loquatur aut de quibus asfirmant. Hoc ergo scias mi Simon (nam uela iam colligenda & finis huic conclusioni imponendus) Christianum posse habere diuitias & facultates proprias, decet ut curam gerat suarum rerum, familiae, liberorum, adeoq; decet, ut qui haec negligit Christianus dici & esse non possit. Quid dico Christianus? Inter bonos uiros censendus non est, nihil honestatis, nihil rationis habet, neq; coram deo neq; coram hominibus. Qui uero uolunt diuites fieri, hoc est, qui neglecto deo, suo labore & cura fidunt acnuntur, curiosi & malis artibus, dolo, fraude, usura rem parant, hi certe

certe in laqueos Satanae cadunt 1. Timoth. 6. Pius presentibus rebus, quas ex dono dei habet, contentus est, quibus utitur cum gratiarum actione ad necessitatem, ad gloriam dei, opem fert proximo, ut de fidei canit Psal. 112.

Ceterum in misericordia & beneficentia erga alios ordo quidam est. Nam Paulus dicit Gal. 6. Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim suo metemus non defatigati. Itaque dum tempus habemus operemur bonum, cum erga omnes, tum uero maxime erga domesticos fidei. Deinde ad Timotheum scribens, docet, ut quisque liberis & nepotibus suis uniuersisque familiae suae uel maxime provideat. Huc pertinet quod in epistola posteriori ad Corinth. cap. 13. dicit: Non enim sic conferendum, ut alijs sit relaxatio, uobis autem angustia, sed ut ex aequabilitate in presenti tempore uestra copia illorum succurrat inopiae, ut fiat aequabilitas, quemadmodum scriptum est: Qui multum habebat huic nihil supererat, & qui paululum habebat, is nihilo minus habuit. Quicumque ergo pius est, quo plura habet, hoc plus miseretur et benefacit: qui parum habet, quod potest facit. Non quod omnibus temere bona sua proiciat aut communia faciat, sed in primis suis prouidet, deinde si potest summa fide adest proximis, postremo omnibus etiam benefacit tam bonis quam malis propter deum. Fides inter haec oculata est

Et uigilat, ne in delectu hallucinetur aut cæcutiat, ne
 amore sui captus sibi nimium tribuat, fratrem fraudet,
 diligenter curat ut thesaurum in regno cælorum repo-
 nat. Hæc ergo Pauli uerbis claudimus i. Timoth. 6. Di-
 uitibus qui sunt in presenti sæculo præcipe, ne elato
 sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in
 deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruen-
 dum, ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut
 faciles sint ad impartendum, libenter communican-
 tes, recondentes sibiipsis fundamentum bonum in po-
 sterum, ut apprehendant uitam æternam. O Timo-
 thee, depositum serua, deuitas prophanas uocum ina-
 nitates, et oppositiones falso nominatæ sciētiae, quam
 nonnulli profitentes, circa fidem aberrauerunt. Hæc
 mihi Simon ita mihi satisfaciunt, ut anilia et inania fa-
 bulamenta catabaptistarum nihil morer. Communica-
 tionem bonorum ulli præceptam esse nescio: fidem et
 misericordiam omnibus scio. Beati misericordes quo-
 niam ipsi misericordiam consequentur. Qui misericor-
 diam negligit, iudicium habebit sine misericordia,
 præualet enim misericordia iustitiæ. Da mihi aliquem
 qui iusta labore ingentes diuitias compararit, miseri-
 cors autem non sit, is iustus quidem quod ad adquisi-
 tionem bonorum attinet, iustus uero non est, si crudeli-
 tatem immanem, et inhumanitatem infidam spectes.

SIMON. Dixisti non nihil, cui plane assentior,
 at uos

et uos qui Christum prædicatis parum apte uitam uestram ad doctrinam Pauli superius citatam attemperatis. Nihil enim laboratis (quod tamen uitio graui nobis uertitis) domus & agros possidetis, mercedem ex euangelio accipitis. Hæc omnia facere non deberetis. Ad hæc ergo responde Ioiada. IOIADA. Faciam hoc sequenti articulo. Sed tu recense fundamenta scripturæ quibus contra nos hac in parte pugnare se existimant.

QVOD MINISTRIS EVANGELII propria possidere per deum liceat.

SIMON.

Tot & tam firma habent tela ex scripturarum armamentario deprompta, ut non facile ab eis dissentire possim. Sed audiam ex te si fortiora quedam & firmitiora adducas. An non clarum est quod Christus dicit Matth. 10. quum apostolos ad prædicandum amandaret: Ne possideatis, neq; aurum, neq; argentum, neq; æs in crumenis uestris, neq; peram ad iter, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam? &c. Quis contra tam apertum domini mandatū quidquam audet? Quod tamen uos minime obseruatis: uetat enim omnem proprietatem, tam abest ut domos proprias possideatis. IOIADA. Quum dominus suos

VI.
TRACT.

mandaret, nihil instructos ad tam arduam profectio-
nem, ut talium rerum gratia anxij non sint, consola-
tur eos, se curaturum ut horum nihil desit eis, quod
alij magna cura, magno labore, multo tempore, ingen-
ti sumptu parant. Hunc esse sensum huius loci, notis
quibusdam certis probabimus. Matthæi enim 10. unde
de tua desumpsisti, mox sequitur: Nam dignus est ope-
rarius mercede sua. Hic uides poni (μαρ Nam) quod
sensum perficit. Quasi diceret: Hanc ob causam nolim
uos esse hisce rebus instructos, quod sponte uenient, si
uos digne et cū fide in opere meo laboraueritis. Ne-
mo enim tam ingratus erit, qui à uobis euangelium au-
dierit, quin corpori necessaria suppeditabit. Deinde
dicit μη κτλσνοδε quod proprie est, Ne paraueritis.
Respicit autem ad ea quæ ad iter necessaria erāt. Ter-
tia nota est quod Marci 6. post enumerationem auri,
argenti &c. subiicit, ut calciarentur sandalijs, hoc
est, ne diu pro illis circumspicerent aut cunctarentur
diutius, sed accincti essent et expediti ad iter. Huc et
Luce uerbū Luce 9. respicit μηδ' ερ' ᾱπετε ε̄ις τὴν
ὁδόν, Ne quid tuleritis ad iter, hoc est ad profectio-
nem, quod solent qui peregre proficisci uolunt argen-
tum aurum peram et huiusmodi parare ne quid in uia
desit. Consentit autem Lucas cum Matthæo. Verbum

ἀεὶ τοῦ ἀεῖω, nisi Græcum ἀεῖω plus in recessu habet quàm prima
τῆς ᾱε̄ in ᾱ longum fronte promittat. Vide Budæum in Cōmentarijs. Quar-
tā nota
tollo, uiribus apper-
hendo, eleuo, uide-
quib. viatores a huius sarcinas gerant. Aliqui aufero, de
modo tollo, h. e. ἀγαρῖω, ut ἡγορ' ὁραδὸς ε̄ ε̄ ἡγορ' ἰῶ. Aliqui
modo, & soluo, proficiscor, ab ὄω. Actiūm accus. Bud. com.
Vide Mochop. scolia in Philostrat. ubi multa de huiusmodi.

nota colligitur ex uerbis Iesu Lucae 22. ubi sic dicit:
 Quando misi uos sine baculo & pera & calciamentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Quasi diceret: Videtis ergo quid uerbis istis (nihil ad iter tuleritis) uoluerim. Nam etiamsi talium nihil uobiscum tuleritis, nihil tamen uobis deesse poterit, me pro uobis curante & talia dante. Ex praedictis ergo patet anxiam istarum rerum curam dominum eximere uoluisse ex animis discipulorum suorum, ne pro istis rebus essent solliciti, ubi scilicet uictum acciperet, uestes, quis tueretur inermes &c.

Neq; mox sequitur apostolos talium rerum nihil unquam habuisse. Quis enim tam stolidus ne dicam insanus est qui hoc dicat? Sequitur enim, Dignus est operarius mercede sua. Quasi diceret: Etiamsi ego talia iam non do uobis, dabunt tamen illi quibus praedicabitis. Non ergo de facultatibus deq; usu aut possessione facultatum loquitur dominus, sed de cura: ut hoc uerbum domini magis consolatio sit quam praecipuum. Potuerunt enim apostoli uel cogitare uel dicere: Quis nobis necessaria uitae administrabit, si nos praedicationi euangelij incubuerimus? Praeuertit hanc cogitationem dominus, & dicit: Nihil est quod anxij sitis de auro, de argento, de cibo, potu & uestibus, ego ista curabo, ut horum nihil uobis desit, uos modo muneri commisso strenue inuigilate. Christus Matth. 6. dicit:

Ne reponatis uobis thesauros in terris, neq; anxij sitis quid edatis, aut quid bibatis, aut quo induamini. Sed ex uerbis istis nemo colligit, Nullus homo talia habere debet: nemo curam pro suis gerere debet. Quomodo enim homines absq; cibo & potu cæterisq; rebus uiuere possent? Ita quoq; ex uerbis Christi ad apostolos nemo colligere potest, quod nihil proprij habere debeant. Mercedem enim ex euangelio acceperunt qua fuerunt digni, ut Christus ipse testatur: & sibi nihil tum defuisse dicunt. SIMON. Ego uerbis simplicibus hæreo, Ne possideatis aurum &c. IOIADA. Nos quoq; simplicitatem textus amplectimur μή κτήσθητε, Ne paraueritis: μή αὐρετε Nihil tuleritis. Causa subditur: Nihil erit opus illis, merces enim reddetur ab illis quorū gratia laboratis. Neq; uos nuda litera defendere uestra potestis. SIMON. Quid ita? IOIADA. Ostendam, Christus hic dicit: Ne æs habeatis in crumenis uestris. Et tamen ipse Christus crumenam habuit & pecuniam Ioannis 11. Hic dicitur, Neq; uirgam: Marci 6. baculum permittit. Duabus hic tunicis interdicit, ipse duas tunicas habuit Ioan. 19. Paulus penulam quam Troade reliquerat iubet sibi afferri à Timotheo, tum nimirum tunica indutus. In Matthæo uetat ne sint calceati: in Marco iubet ut sandalijs utantur. Taceo iam quod in uia neminem salutent &c. Si literam mordicus tueris, sequetur

2. Tim. 4.

sequetur apostolos nihil edisse, nam et cibo interdixit dominus. Cogimur ergo literam iuxta prædictam expositionem intelligere. Si Christo, si Paulo licuit uti duabus tunicis, pecunia & cæteris, fieri non potest ut sic interdixerit apostolis ne unquam talia haberent, at curam & sollicitudinem istarum rerum eis interdixit, occupatis utpote grauioribus. SIMON. Quid de calceis, de uirga, & quod in uia nemini dicant salutem? IOIADA. Hæc per tropum (qui uobis adeo est inuisus) probe conciliantur. In Matthæo calcei alijs rebus, pro quibus ad iter solliciti erant, uel esse poterant, connumerantur. In Marco figura orationis est calceatos esse, pro accinctos, instructos, paratos, ut ad Ephes. 4. Sensus apud utrunq; idem est, utcunq; uerba discrepent. In Matthæo curam rerum eximit, quæ impedimento muneri tanto esse possent. In Marco idem urget, ne scilicet cunctentur, sed accincti sint & itineri se parent, idq; ocyus. De baculo ferè idem dicimus. Apud Matthæum per baculum præsidium et opem intelligit pro quibus non uult esse sollicitos eos, qui prædicandi negotium iam adgrediuntur. In prophetis non infrequens est ut per baculum præsidium intelligatur, ut baculus Aegypti quo nitebantur Iudæi contra dominum. Apud Marcum uero uirgã aut baculum habere paupertatem significat, Methaphora à bello captis tracta, qui se dedunt exutis omnibus ba-

culo donantur & nudi effugiunt. Et sub hasta uendenda
 re Latini dicunt. Et Iacob dicit: In baculo meo transiui
 Iordanem: hoc est, pauper, tenuis. Baculus enim pau-
 pertatis signum est. Vult utrobique Christus ut nudi, inermes
 & expediti legationem hanc obeant. Quare hic
 sermo Christi non est terribilis, sed mire consolatorius:
 quasi diceret Christus, Leti & alacres estote, nam tam
 met si pauperes & absque commeatu eritis, ego tamen
 non deseram uos, sed abunde suppetam, quae necessa-
 ria sunt, uos modo officio uestro ne desitis. Porro
 uirga symbolum imperij est & magistratus. Noluit
 autem ut imperitarent, ut premerent homines quem
 admodum tyranni solent, Lucae 22. Vos autem non
 sic. Et Petrus: Non dominium exercentes in sortem
 domini. Baculus uero in uia prodest itinerantibus: ba-
 culus ergo permittitur, uirga prohibetur.

Alius sensus.

Quod salutare uetat sibi obuios, nemo de Pythagorico
 silentio intelligat. Non enim inhumanos esse
 docet Christus, sed ad diligentiam urget his uerbis, ne
 diutius in uia moram fabulando trahant, ne cunctentur,
 ne alienis se implicent negotijs, quod illis contingit
 qui quoslibet obuios sibi salutant & alloquuntur. Sic
 Helizeus ministro suo precepit ne quem in uia saluta-
 ret, sed ocius curreret & negotium commissum expediret.
 SIMON, Hec si mens fuit Christi, cur uos
 non idem facitis nudi & inermes, sine opibus & praesidio

sidio euangelium prædicando, pendentes à solo deo?
 IOIADA. Hac uia fenestra aperiretur im-
 pudenti mendicitati & procacitati, qua multis iam
 annis utuntur quidam ingentes opes hinc corraden-
 tes. Vnde fit ut libertas scelera corripiendi adimatur
 episcopis, & uertatur authoritas docendi in adulatio-
 nem. Quis enim in mores inuehit illius à quo se acce-
 pturum aliquid sperat? Deinde turpe est euangelij do-
 ctori subinde domum mutare, & domesticatim (ut
 ita dicam) mendicorū more transire. Taceo quod hoc
 faciens neq; studijs sacris operam dare, neq; hospita-
 lis esse potest. Et Christus ipse uetat apostolis ne de do-
 mo in domum transeant. Quod uero deo fidere & ab
 eo pendere nos iubet, hoc idem uobis obijci potest.
 Noui quosdam catabaptistas qui quum passim prædi-
 carent, acceperunt à bonis uiris non uictum solum,
 sed & pecuniam, quum ipsi interim non parum aurū
 secum gererent, forte Ananiam in hoc referentes, si
 qua falleret res, ipsi repositum haberent thesaurum.
 An hi deo fidebant? an non contra charitatem pecca-
 bant, quū alijs & forte pauperioribus adimunt quod
 ipsi plus habent? Videris mihi de promissionibus lo-
 qui perinde ac uanæ essent. Aut dic an non apostolis
 promisit se daturū omnia quibus egent? SIMON.
 Maxime. IOIADA. Si ergo (quod tu ur-
 ges) apostoli omnino nihil habuerunt, quomodo pro-

missio praestita est? an non defuit illis quo caruerunt?
 SIMON. Nimirum. IOIADA. Cogimur ergo id fateri, quod is qui promissioni dei fides, non uana re aut nihilo nititur. Non enim nihil est quod deus promittit. Apostolis pollicetur se defensurum illos, hoc Petro praestitit in carcere Acto. 10. Paulum eripit e manibus eorum qui in necem eius conspirauerant, per eos nempe qui Caesaream eum deduxerunt. Nimirum in ceteris quoque rebus non defuit illis optimus pater. SIMON. Permitto apostolis tenuitatem quandam, proprietatem non permitto. Dicit enim Petrus: Aurum et argentum non est mihi &c. Deinde in Iaphet propriam domum non habuit, sed habitauit apud Simonem coriarium. Quum enim oppidatim transirent, domus non habuerunt. IOIADA. Sic loqui oportuit, quam diu apostoli erant, hoc est, per gentes transibant proprias sedes non habuerunt. Quid uero de his dices quos ipsi ecclesiae collectis & in fide institutis praefecerunt? Hi certe non uagabantur incertis sedibus, sed manebant apud ecclesias suas in quibus domicilium proprium habuerunt. Apostoli quoque ipsi sicubi manebant domus proprias & familias habuerunt. Petrus quum confinia Hierosolymorum peragraret apud coriarium manebat, nec plurimum auri habuit. Sed ex hoc non consequitur Euangelistis domibus esse interdictum. SIMON. Vellem

Vellem mihi ista exemplo apostolorum & scripturis confirmari. IOIADA. Philippus à duodecim diaconus ordinatur Acto. 6. Persequutione orta Hierosolymis, dispersisq; Christianis, Philippus peruenit in ciuitatem Samariae ac praedicabat illis Christum. Deinde angelo monente meridiem uersus proficiscitur, ubi praefectum Candaces reginae Aethiopum ad fidem conuertit & baptizauit Acto. 8. Post hoc repertus Azoti, pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Caesaream.

Caesaream quum peruenisset, mansit illic. Diaconus primum, mox apostolus, hoc est legatus, cuius munus locum subinde mutare & Euangelium latius proferre. Postremo fit Euangelista, qui Caesariensibus euangelium praedicat, apud quos sic mansit, ut illic propriam haberet domum uxorem & liberos, ut ex Act. cap. 21. clare perspicitur. Iam & hoc obseruandum, cuius ignorantia uos fallit, diuersas esse functiones, diuersa ac distincta ministeria in ecclesia Christi, ut ex Actorum cap. 13. ex epistola Pauli ad Ephes. 4. 1. ad Corinth. 12. colligitur. Dedit alios quidem apostolos, alios uero prophetas &c. SIMON. Quid uero discriminis haec habent? IOIADA. Apostoli nihil aliud sunt qua legati. Duodecim elegit Christus, ut habetur Lucae 6. quos uocauit apostolos. Et haec tenus de ratione nominis. Officium uero istorum est

ut euangelium per orbem prædicent, Marci ult. Matth.
 ultimo. Matth. 10. missi primum in Iudæam tantum:
 post resurrectionem in omnes gentes. Prophetarum
 officium olim erat quod nunc euangelistarum & epi-
 scoporum, nempe scelera uel cauere ne irreperent, uel
 1. Cor. 14. si quæ erant extirparent, Hierem. 1. Apostolorum tem-
 poribus prophetae sunt dicti, qui sensum scripturæ eccle-
 siæ proponunt & enarrant. Nam testamenti noui
 scripta tum nondum extabant. Euangelistæ sunt qui
 Euangelium populo annunciât. Vbi notandum quod
 omnes hi unum scopum habent, nempe ut homines in
 cognitionem sui ipsius & dei inducant. Est tamen in
 modo & ratione aliqua differentia inter illos. Aposto-
 li circumeunt, nõ uno loco fixi herent. Prophetae co-
 gnitionem dei docent, scelera taxant, et quidquid con-
 tra deum erigitur demoliuntur, sensa scripturæ profe-
 runt & explicant. Euangelistæ Euangelium docent,
 hoc est, gratiam per Christum orbi exhibitam. Pasto-
 res sunt qui gregis dominici curâ in se susceperunt, qui
 pro ouib. uigilât ne lupus irruat in caulas domini etc.

Doctores Paulus non intelligit eos qui rubeis pileo-
 lis, annulisq; aureis in scholis uniuersalibus insigniun-
 tur, sed eos qui uel publice ecclesiam docent, qui &
 prophetae superius dicuntur, uel qui in scholis docent
 eos qui ecclesijs deinde præficiuntur. Doctor gentium
 fuit Paulus 1. Timoth. 2. Secundi ordinis doctores ad
 Ephesios

Epheſios 4. intelligere uidetur, quod ex Actis 13. colligi potest. Fuerunt enim tum etiam apud ecclesias magnas uiri docti quibus docendi cæteros munus dabatur, ne unquam deessent ex quibus alij sufficerentur, ne scriptura in alienum sensum ab hæreticis detorqueri posset. Nam tametsi hoc certissimum est, quod ^{Tempore prophetarū collegia quoq; erāt, et propheta rū discipuli} solus deus cor docet, adhuc tamen necessarium est, ut sint qui literarum sacrarum atq; linguarum sint periti, idq; propter eos qui scripturis uim faciunt. Hypocrisis enim omnia audet, & angelus satanæ in angelum lucis se transformat. Ad indicem ergo scripturarum oportet spiritum illorū explorare, qui sub specie pietatis omnibus Christi simplicioribus imponere conantur. Optat ergo Paulus 1. Cor. 14. ut omnes prophetent, ut omnes linguis loquantur & c.

Videmus hic quod ad doctrinam et rem attinet parum interesse inter euangelistas, prophetas, pastores, & doctores, tametsi in modo nonnihil interfit. Deinde eosdem esse euangelistas & episcopos, ut patet 2. Timot. 4. Dicit enim: Opus perage euangelistæ. Euangelistam uocat qui erat episcopus. Iam episcopus quid est quàm propheta pastor & doctor? ut idem Paulus dicit: Prædica sermonem, insta tempestiue, intempestiue, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Apostoli ergo postquam docuissent ecclesias fidemq; prædicassent, quandoquidem illis aliò ab

eundem erat, pastores & Euangelistas aut episcopos
ordinarunt, ne praeda lupis essent oves dominicae. Hoc
patet ad Titum 1. Qui sic praeficiebantur ecclesijs post
apostolos, manebant apud ecclesias sibi commissas, pro-
prias domus, proprias familias, & uxores & liberos
habebant Acto. 14. Tit. 1. 1. Timoth. 3. ubi praecipit
tur quod episcopus uir sit unius uxoris, qui liberos ha-
beat obedientes et recte institutos: si enim propriae do-
mum praesse non nouit, quomodo ecclesiam dei provide-
ret? Deinde hospitalis sit episcopus, hospitalis aut qui
potest esse, quum domum non habeat? aut quomodo
alios excipiet & beneficijs afficiet, qui ipse nihil ha-
bet? Et commendatur hospitalitas in omnibus Heb. 13.
in episcopo ergo maxime. Philemoni, qui et ipse sym-
mista erat Pauli, domus erat & familia. SIMON.

De mercede quam ex euangelio capiunt, nondum
satis mihi fecisti, dominus enim dicit: Gratis date, gra-
tis accepistis. IOIADA. Idem dicit: Dignus est
operarius mercede sua, Mar. 10. SIMON. Hoc
apostolis dictum est, non uobis. IOIADA. Au-
diamus ergo Paulum doctorem qui à Christo caelitus
uocatus est & doctus 1. Cor. 9. Is enim non uulgari-
bus argumētis probat licere his ex euangelio uiuere,
qui euangelio seruiunt Deut. 25. Domini uerba Pau-
lus allegat, dicens: Sic et dominus ordinauit, qui euan-
gelium annunciāt, ex euangelio uiuant. Sic 1. Thes. 5.

Rogamus

Rogamus autem uos fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter uos, & qui præsunt uobis in domino & admonent uos, ut habeatis illos in summo precio per charitatem, propter opus illorum, pacem habete cum Gal. 6. illis. Hebr. 13. Memores estote eorum, qui præsunt uobis, qui locuti sunt uobis sermonem dei & c. De euangelistis loquimur & pastoribus ac episcopis fidei qui summa cum fide et diligentia super gregem domini uigilant, non de fucis & ignauis uentribus. 1. Timoth. 5. sic ait: Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime ij qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura, Boui triturati non obligabis os, & dignus est operarius mercede sua.

SIMON. Dignum quidem est ut quotidie detur illis quo opus habent, sed uos habetis certas pensiones & stipendia quaedam definita, quod non licet.

IOIADA. Quid interest si quis singulis diebus, mensibus, aut annis accipiat quod ad uictum & necessitatē datur? Cur estis tam superstitiosi? Aut quid refert quale nomen huic quod datur imponas? Alius uocat sacerdotium: alius mercedem: alius stipendium: alius duplicem honorem aut portionem: alius præbendam & c. Certe Christus ipse mercedē appellat.

SIMON. Sed non debet esse certis conditionibus præscripta et finita. IOIADA. In manu eccle- A. 6. siæ est, qualiter hæc externa ordinentur, ut omnia si-

ant cum ordine quodam ad ædificationem & charitatem, Philip. 3. Cœna domini olim in templis post publicas epulas habebatur, quum irrepsisset abusus, aliter instituit Paulus 1. Cor. 11. Sic enim uidebatur facere cum ad pacem & tranquillitatem ecclesiæ, tum ad actionis tantæ maiestatem. Qui sacerdotia definierunt certa ministris, per hoc auariciæ & quæstui uiam præcludere uoluerunt honesto certe proposito. Cur ergo calumniam rebus pulcherrimis struitis? Cessa ab hac contentione Simon, & cede ueritati. Dic Simon an non satius sit ut ex his bonis quæ prius apud ecclesias erant, siue ex decimis, siue redditibus colligatur et detur pastoribus ecclesiarum, quàm ut ista, nescio quibus relinquentes, denuo grauemus ecclesias noua uictus emedicatione? Nonne plus satis degrauiatos hactenus & uos ipsi clamatis (& fors hoc iure facitis) innumeris contributionibus, uectigalibus, dationibus, atque alijs exactionibus? SIMON. Verbum Christi quod tibi obieci Ioiada, aut dissimulasti, aut satis tenuiter elusisti. IOIADA. Quod nam illud? SIMON. Gratis accepistis gratis date. IOIADA. Duo mandat discipulis suis Christus. Alterum ut infirmos sanent, & morbos pellant. Alterum ut euangelium prædicent. Ad primum ergo hæc uerba pertinent. Non enim suo nomine, sed Christi uirtute sanabant: quod ergo gratis datur eis, hoc ipsi gratis quoque

quoq; expendere iubentur, ne ex donis spiritus sancti
 questus fiat, quod in Simone Samaritano punitū fuit.
 De altero dicit: Dignus est operarius mercede sua. Et
 Christus ipse habuit à quibus sibi necessaria admini-
 strabantur Lucæ 9. Si Christo & apostolis licuit à mu-
 lieribus diuitibus necessaria accipere, cur tam graui-
 ter in nobis hoc damnatis, quod hæc ab ecclesia acci-
 pimus? SIMON. Quid uero Paulus dicit? 1.
 Thes. 2. Meministis fratres laboris nostri ac sudoris.
 Nocte enim ac die opus facientes ob id, ne cui uestrum
 essemus oneri, prædicauimus apud uos euangelium
 dei. In posteriori epist. cap. 3. Ipsi scitis quomodo opor-
 teat imitari nos, quoniam non inordinate gessimus nos
 inter uos, neq; gratis panem accepimus à quoquam,
 sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus,
 ad hoc ne cui uestrū essemus oneri. A Corinthijs quoq;
 nihil omnino accepit. Quod si apostolos libet imitari,
 nihil accipere debetis. IOIADA. Non nega-
 mus Paulum alicubi nihil accepisse, nec tamen hinc
 colligi recte potest nihil unquam Paulum accepisse:
 aut quod recepisse talia peccatum fuerit. Timotheum
 patitur circumcidi, sed hoc factum non cogere potest
 nec debet nos ad circumcisionem, circumstantiæ loci,
 temporis, personarum accuratius expendendæ, qui-
 bus ex causis quæq; res fiat. Hæc si consyderentur, ad
 parebit Paulum nulla lege aut præcepto huc adactum

esse, sed sola charitate, ne offensionem daret. Hic ergo simili modo perpendendum quo iure, quaque lege Paulus nihil à Corinthijs & Thessalonicensibus accepit. Inueniemus autem id factum esse propter falsos apostolos, ne isti exēplo Pauli ansam capere possent, questum suum excusandi. Hic fidem tuam in citandis Pauli uerbis requiro. Quod enim contra te faceret tibi uisum fuit, de industria omisisti. Mox enim per correctionem subiicit: Non quod id nobis non liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Et hæc eadem causa fuit quod nihil à Corinthijs acciperet, quod ex ii. cap. posterioris epistole cernere licet. Vbi obiter quoque intelligimus, à Macedonibus fratribus alijsque ecclesijs Paulū accepisse, Philip. quarto.

Quod uero ministris Euangelij ex Euangelio uiuere liceat, ex eodem Paulo superius satis est probatum. Sed uos catabaptistæ idem subinde refricatis, ut nemo satisfacere uobis unquam possit. SIMON.

Miris hæc modis exaggeras, quantum ergo dandum erit? IOIADA. Si oculus fuerit simplex totum corpus lucidum erit. Qui uere seruiunt domino, auaricie suæ & questui non studebunt, non quærent sua sed quæ Iesu Christi. Vbi timor domini fuerit, ab erit impudentia & procacitas. Deinde in his quibus prædicatur charitas omnia recte moderabitur, ut nusquam

quam aberrant. Docentis fidem, diligentiam, eruditionem, laborē & expensas probe expendunt, nec erunt ingrati auditores.

AN VERBI DIVINI MINISTRI
ad opera manualia sint cogendi.

S I M O N.

Nihil contradico his quæ ex scripturis tam clara adduxisti. At quod Paulus monet quodq; in se exprimit omnino præstabilius uidetur, nempe quod hi qui euangelium prædicant, manibus suis laborent 2. Thes. 3. Acto. 20. ne cæteris oneri sint. Non hæc negabis (ut puto) præsertim quum superius in catabaptistis hoc grauiter damnabas, quod ignaui aliorum labores absumerent. IOIADA. De his dixi nempe, qui inuocati & à deo non missi sese in officium prædicandi ingerunt, sua deserentes, ex alijs uiuunt, in manibus fabulamentis & seditiosis sermonibus populum seducentes. Longe secus de his iudico quos deus uocauit & misit, qui uerbum dei, iustitiam & ueritatem populo annunciât. Factum Pauli (quod satis dictum & probatum est) lex non est, sed singulare quoddam pro temporis ratione adsumptum, 2. Thes. 3. Nec quenquam à labore eximi uolo: qui non laborat non manducet. At diuersos esse labores nemo ne-

VII.
TRACT.

gare potest, ut sunt conditiones uariae, & uaria officia hominum. Vehementer errat si ad agriculturam aut figulinam omnes homines cogere quis uelit. SIMON. Quorsum tendas satis intelligo, duros & graues labores in nos reijcitis, uos leuioribus intenti persuadetis nobis uos graui labore oneratos esse. Ego certe persuaderi me non sinam. IOIADA. Laboras inuidia Simon quemadmodum olim Corinthij. Quamobrem coactus Paulus capite. 12. ecclesiam corpori humano comparat, quod ex uarijs membris tamen si constat, unum tamen est. In ecclesia uaria sunt munia, uaria officia, nec ob id scindi debet. Et quemadmodum corpus non potest unum membrum tantum esse, ita nec ecclesia unum duntaxat habere potest officium. Membrorum uaria conditio, aliorum alia functiones, alia alijs praestant & c. Non secus est in ecclesia dei. Euangelij opus suum habet onus, praestantius quam ut corporis aut manuum labore impediat tur aut minuatur. Probabimus haec scripturis & exemplis apostolicis. 1. Timot. 4. Timotheum suum Paulus monet non ut corporalibus rebus sese implicet, sed ut lectioni attendat, exhortationi, doctrinae, ne negligat donum & c. Pauperibus necessaria ministrare, et eleemosynas distribuere, opera sunt quibus nec meliora nec digniora esse possunt, adhuc tamen apostoli uolebant his euangelij praedicationem postponere,

ACTO.

Sum p. h. opus
sunt h. omnia

Acto. 6. quanto minus proprijs curis & negotijs.
 Nec decere putamus, ut euāgelij præco τῶν ἐπι βίω-
 τικῶν distrahatur. Fieri enim non potest, quin si illis
 incūbat sollicitius, spiritualia interim negligentius exe-
 quatur. Grandis labor est satisq; ingens, si summa fi-
de & diligentia lectioni, exhortationi, & prædican-
do euangelio inuigilet. Quæ si pro dignitate tractare,
 uelit, uix suppetet tempus, tam abest ut manuário ope-
 ri uacare possit. Vtrumq; si tentabit, neutri satisfaciet,
 ut non ab re Paulus dicat: Nemo qui militat, implica-
 tur uitæ negotijs. SIMON. Nolim ut deserto
 aut neglecto uerbo laboret, sed ut à prædicatione ad
 opus manuale, ab opere ad prædicationem uerbi muta-
 tis uicibus transeat. IOIADA. Perinde nimi-
 rum, ac si faber ferrarius ab incude ad focum se reci-
 pit, & pistor à subacta massa ad fornacem. Longe al-
 lia ratio est, quàm ut præco diuini uerbi à malleo &
 securi prædicationem mutuetur. Nemo recte utrisq;
 seruiat, quum sensus circa plura distracti alteri minus
 satisfacere possunt. SIMON. Quantus uero la-
 bor est dic quæso, ut horula una concionetur? Biblia
 plana sunt, & in procliui est ut quisq; ea legat, qui la-
 bor est facilis. Deinde omnia in Germanicam hodie
 uertūtur. Postremo spiritus sanctus omnia docet: quid
 adhuc desyderatur? IOIADA. Vobis quidem
 tam leuia & facilia ista uidentur, quos uix degustatis

*βιωτικὰ τὰ
 vitalia sic vocat
 P. paulus quæ ad
 corporis subsidium
 pertinent.*

elementis primis, spiritus uester ad tam alta rapit. Sed non satis expenditis, quanta & quam multa ad hanc rem requiruntur, & quanta suppellectile oporteat esse instructum eum, qui ceteros docendi munus suscipit. Hæc uero non expendere & illotis manibus rem tam sanctam aggredi, superioribus sæculis multa incommoda ecclesie Christi inuexit, quando muliones Romani & ineptissimi quicq; ad munus hoc diuinum adhibiti sunt. Non caret periculo sacrosanctas res ludibrio haberi & contemni: foelices certe essent artes, si de ijs soli iudicarent artifices. Quid uero in posterum ex contemptu & neglectu bonarum artium & sacrae scripturae, ex tam præcipiti & impudenti iudicio subnasci possit, prudens quisq; satis intelligit. Nos id deo committimus, & gratiam precamur. Sed tu dic Simon: An nõ Christus uitæ alimoniam, uestitum, & omnia necessaria se nobis daturum pollicitus est?

SIMON. Maxime, Matth. 6. alijsq; multis in locis. IOIADA. Quid ergo laboramus? Expectemus panem de cælo & columbam assatam ex alto deuolantem. SIMON. Quid adfers? Non sequitur, Deus pollicitus est uitæ necessaria, ergo nihil nobis laborandum: sed hoc potius, Deus promisit nobis necessaria, ergo nobis strenue & gnauiter laborandum, nec dubitandum quin deus sit adfuturus.

IOIADA. Cur ergo hic non sic colligitis?

DEUS

Simon 1mo 11 vs
92mo

poenitendos, nec tam facilia illis hæc fuerunt quam uobis. Plura quam par est uobis arrogatis, cum interim bonarum artium ignorantes sitis, & nihil quam biblia Germanica aut alios duntaxat libellos Germanicos legeritis. Nunquam sibi tantum in his sumpserunt diligentissimi isti homines, quos nominavi, qui diu noctuq; in his exercitati, longo usu multa didicerunt, quiq; linguarum erant peritissimi. O audaciam impudentem, o audacem ignorantiam.

Biblia primum à prophetis & apostolis Hebraice mox Græce scripta sunt, neq; tam sceleriter unquam in riuulis uersa & deriuata hauriri possunt quam sunt in origine. Natiua hæc in alienam linguam non tam pura & perspicua transfunduntur. In Euangelijs multa sunt de fratrib. domini, ex quibus uerbis Heluidiana hæresis nata est, quæ tradit Mariæ intemeratae & perpetuæ uirgini plures fuisse filios. Vnde uero hæc tam absurda & impia opinio? Quod literatores Hebraici sermonis proprietatem non intellexerunt, qui fratrum nomine non solum cognatos, sed & proximum quemq; exprimit. Huius generis multa sunt in scripturis, quæ locus non est narrandi. Plena est sacra scriptura tropis, schematis, & figuris, operta omnia allegorijs, similibus ac parabolis à quib. sensus omnis plerumq; pendet. Idiotismi deinde frequentes occurrunt passim in diuinis literis, ex ea lingua in qua sunt tradita

tradita: quæ omnia si ignorentur, frequenter aut fallunt, aut morantur lectorem. Et Hebræa lingua plurimas habet loquendi formas ab utraq; dissonantes. Sed de his rebus non est propositum differendi iam. Legatur August. in lib. de locutionibus Hebraicis: & in lib. de doctrina Christiana. Legatur ratio seu compendium ueræ Theologiæ Erasmi Roterodami, & inueniet quàm necessaria sit harum rerum cognitio. Ride re uobis ista quàm assequi fortasse facilius fuerit. Transeo dicendi artificium, consultandi, monendi, cōsolandi, increpandi, disputandi, colligendiq; rationem. Taceo quæ ex grammaticis, dialecticis, rhetoricis, arithmetica, geographia, astronomia petuntur. Taceo quæ ex physicis, ex historijs, ex poëtis. SIMON.

Satis nobis fuerit si Biblia scierimus, nihil opus ethnicis istis uanitatib. quin hæc uetita sunt ab apostolo. An Aristotelem & Platonem rursus in scholâ Theologicam reducere uultis? IOIADA. Eam partem philosophiæ, quæ nostris uiribus nimium tribuit, ad sacras literas impedimento esse uobiscum confitemur, deinde etiam exitialem & perniciosam, Col. 2. Quæ uero sacris literis ancillatur & subseruit damari nequaquam debet, qualis est philosophia naturalis & sermocionalis, illa enim admodum necessaria est ad sacras literas, tam abest ut officiat aut ut uetita sit. Quin & philosophorum gentilium scita & dogma

Omne p[ro]p[ri]um d[omi]ni
u[er]it[as] 7 q[ue] u[er]it[as]

ta, si quæ sacris congruunt & ad uirtutem ueram faciunt, repudianda non sunt. Quidquid enim usquã in rerum natura bonum est, à deo sit oportet. Christus nonnunquam per parabolas & fictas narrationes docet, & in fine Matth. 13, adijcit, sic facturum esse eum quicumq; ad uitam æternam sit doctus, ut proferat de thesauro suo noua & uetera, id est, omniuaria. Nam testamentum nouum tum nondum erat, quando Christus hæc loqueretur. Mundis omnia munda. Et Paulus omnia probare iubet, quod bonum est seligere. Ipse Paulus poëtarum testimonia citat, ut Epimenidis aut Calimachi ad Tit. 1. Epimenidis aut Menãdri 1. Cor. 25. In Actis 17. Arati, Cur ergo nobis non liceat, quod Christo, quod apostolis? SIMON. Quid opus tot nugis, nisi ut peiores & peruersiores euadamus? IOIADA. Præcox illa eruditio neq; satis matura insolentes reddit & audaces, iusta uero humiliat & modestos facit. Qui uere sapientes sunt & docti, in campum disciplinarum oculos tanquam in paradysum intendunt & circumferunt, ubi discant longe præstantiores esse artes & iustam eruditionem, quam ut ipsi de eis gloriantur. Qui uero hanc summis labijs duntaxat degustarunt, opinione sapientiæ falsa decepti, inflantur, et in cœlum usq; tolluntur. Pestis nocentissima est ignorantia quæ se eruditam existimat, hæc inflat & in sublime tollit animum. Vera eruditio modesta

Paulus poëtarum
testimonia citat

De uerbis sapient.
lib. 7. de arte astæ.

pestis nocentissima
est ignorantia

desta est, & multum habet utilitatis: ex falsa ista natū est prouerbiū, Quo doctior hoc magis prauus. De linguis quid opus est plura admonere? Cuiusuis idiomatis hic est genius, ut in aliud transiens haud queat per omnia suam proprietatem & uires, indolemq; natiuam retinere. Opus ergo est his qui coelestis sapientie sunt cupidi ut idiomati Hebraeo in primis non seignem operam nauent, quo leges diuinæ et pietatis uere disciplina (quam Theologiam uocāt) syncerissime pertractantur. Vide Paulum 1. Cor. 14. & 1. Timoth. 3. 2. Timoth. 4. Tit. 1. Doctorem conuenit esse aptum ad docendum, ad monendū, ad exhortandum, ad consolandum, ad increpandum, ut de quauis re apte possit dicere & recte secare sermonem dei, utq; possit contradicentes reuincere, & eis os obturare. Vnde uero hæc discūtur nisi ex Dialecticis et Rhetoricis? Neq; quum de dialectica loquor Sophisticam intelligo, sed naturalem illam dicendi rationem & totum dicendi artificium.

Physica necessaria esse ad sacras literas, scio concedes, si uel parum uersatus es in eis. Ibi enim fit mentio de arboribus uarijs, herbis, radicibus, animalibus, auibus, lapidibus, metallis, & huiusmodi rebus, quas nunquam intelliges nisi naturam earum ex physicis didiceris. Testes sunt Iob, Dauid in Psalmis, prophetarum libri in quibus hæc abunde perspicere licet, sine

naturali scientia in his tanquam sine luce in tenebris palpabis. Quid de Geographia dicam? quæ tam est necessaria ut neq; Mosen, neq; Iosue libros, nec apostolorum acta sine illis rite intelligere quisquam possit. Taceo iam prophetas & alias scripturas. Hæc enim ars terras metitur, limites definit, urbium, amnium, fluminum, regionum et gentium quoq; proprie ostendit. De hoc lege librū elegantiss. incōparabilis uiri Ioachimi Vadiani Consulis Sanctogallensis, quem nuper in Acta apostolica ædidi, & uidebis uerum esse quod dico. Quid uero est quod historias contemnis quum sine his nec quis Cirus sit, nec quis Daræus, nec quæ Babylon, recte nosse potes. De regnis Romano, Persico, Alexandrino, Medico, Aegyptio an non multa mentio est apud prophetas præsertim apud Danielē? Hæc certe omnia ex historijs discere oportet. Vno atq; altero uerbo de his indicant tantum prophete, reliqua ex Iustino, Curtio, Herodoto colliguntur. Quomodo ergo hæc pro dignitate unquam tractabitis aut alios de his docebitis, qui præter chartas quasdam & schedas Germanicas nihil legitis, instrumenta quæ uobis ad hæc aditum reserarent egregie contemnitis? Doctrina ergo uestra harena nititur, nec solidi quidquam habet, utcunq; sitis audaces. Si historias legissetis unquam, nimirum compertum haberetis, uestrum errorem ceterosq; sæpe à quibusdam hæreticis tentatos, ueritate
semper

semper uictos esse. Authores uero aliud nihil effecisse quam ut sese magno pudore deridendos uniuerso orbi proponerent, & asseclas suos in extremum exitium traherent atq; demergeret. Idem uos facietis, si conatibus uestris pio studio nemo obstiterit.

Vulgus suo pte ingenio mobile est, & nouarum rerum percupidum, pauci aut nulli ferè ad studia destinantur: scholæ pereunt nec reformantur, et quum antea multam auri uim in ignauos fucos contulerimus, pro gloria dei et reipub. Christianæ salute ne obulum quidem expendere libet. Sed pro hac tam turpi ingratitude pœnas aliquando condignas dabimus. SIMON. Adquiesco dictis tuis, et ueritatē agnosco.

QVOD CALVMNIAM STRVVNT catabaptistæ uerbi ministris, ex inuidia nascitur. Sese enim coram indocta plebe odiosis sermonibus uenditant, ut ministros uerbi inuisos plebi faciant, auctoritatem eis derogent, oues contra pastores concitent, ne sermonibus eorum credant, ipsi soli regnent.

IOIADA.

Non dubito quin & alij catabaptistarum primores, iam dudum illa non ignorarint, nosq; in his rebus nihil contra deum commississe in-

VIII.
TRACT.

tellegerint, cur ergo non odium & inuidiam inter
preter, quod tanta acerbitate in sermonibus suis con-
tra ueritatis prædicatores & ecclesiarum ministros
inuehunt, ut eosdem qui uel possessiones habent, uel
ex euangelio mercedem accipiunt, fures & latrones
adpellare non uereantur? Hoc eis suggerit spiritus sci-
licet unde audiuntur insana istæ uoces, quas ubiq; spar-
gunt: Ne patiamini o fratres ut illi uos seducant, im-
postores sunt, nolite eis credere, Antichristi sunt, & lu-
pi rapaces, uentres, mercedem enim ex euangelio, &
pro singulis sermonibus singulos aureos aut modios
frumenti accipiunt, possessiones habent, quum tamen
Christus dixit: Gratis accepistis gratis date. Hic ma-
gna authoritate caput 10. Matthæi intonant, & mise-
re discernunt, plaustra conuitorum in nos iacentes. Pul-
chre interim scripturas, quas superius pro nobis addu-
ximus, dissimulantes et supprimetes. Simples et idiote-
tata authoritate et uerborum mole obruti, et specie san-
ctitatis excecati, adquiescere incipiunt, adeo ut et ipsi
talia loqui incipiant. Sciunt astuti hoies & qui cause
sue pessimæ parum fidunt, non posse fieri ut sibi homines
adiungant, nisi prius prædicatores ueritatis coram au-
ditoribus suspectos reddant, & eis fidem adimant. Imit-
tantur in hoc adulteros, qui uxori maritum inuisum
reddunt, & sese interim insinuant, ut deserto marito
ipsi recipiantur. Mox ut episcopi ecclesijs inuisi esse
coeperint,

coeperint, clam irrepunt lupi isti, oues perdunt et lo-
 lium tritico inserunt, de redditibus, de decimis, deq;
 ceteris huiusmodi rebus multa inter simplices garru-
 entes, spe uana lactant miseros, futurum fore ut oneri-
 bus istis liberetur. Quo minus id fiat iam in causa esse
 praedicatorum & magistratus: illos quod ueritate non
 praedicet: istos quod iniquis legibus populū premant,
 ita utrosq; in perniciem illorum cōspirare affirmant.
 Porro ad quae natura procliues sumus facillime credi-
 mus, facile ergo sermonibus illorum persuadentur sim-
 plices, & odium concipiunt contra episcopos, inobe-
 dientia mouetur erga magistratus, adherere incipiūt
 impostoribus illis, quos in caelum usq; extollunt, in
 quos quaecumq; habent conferunt. Nec reijcit is, qui
 paulo ante docuerat gratis esse dandum quod gratis
 sit acceptum. Nouum genus monachorum in istis ho-
 minibus nobis subolescere quis non uidet? qui pauper-
 tatem quum profiterentur, diuitias ingentes corraserunt.
 Quid uero mirum, quod in pristinas tenebras re-
 labi nos finit deus, quum erga ueritatem tam simus in-
 grati, mendacijs tam facile aurem praebemus, nihil di-
 scernentes inter hypocrisim & fidem? Orandus domi-
 nus ut studium ueritatis in nobis accendat, ut errores
 tam pessimos ex ecclesia sua tollat, ut catabaptistis
 quoq; donet ut ab hypocrisi tandem resipiscant, ne ec-
 clesias diutius scindant & seducant. SIMON.

Hoc idem tecum ardentissimis uotis orabo, nec dubium est quin preces nostras exauditurus sit dominus. De magistratu uero uelim mentem tuam mihi exponas. Nondum enim intelligo, quomodo Christianus ceteris præesse possit. IOIADA. Quandoquidem noxiam appetit, differemus hanc disputationem in alium quempiam diem. SIMON. Ita fiat, tu uale. IOIADA. Et tu quoque, dum fuerit integrum redi. SIMON. Curabo ut primo mane adsim.

LIBER TERTIVS

QVOD CHRISTIANVS MAGISTRATVM GERERE POSSIT.

IOIADA.

I.
TRACT.

SALVE Simon, ades in tempore. Audi dū te uideo ueritatis, hinc magnā spem concipio te id posse cōsequi quod tanto pere queris. De magistratu, quod duodecima conclusione proposueram, nō diffido quin plannum tibi facere possim quod hac in re dubitas. Tu primum dic quid sentias. SIMON. Tu quidem fieri posse putas, quod Christianus homo magistratum gerat, ego uero ex uerbum et exemplum Christi huius sententis